



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



6-4-14



FLL

~~10-219~~

37566



MAPHÆUS BARBERINUS Card.
postea
URBANVS VIII PAPA.



87
U3 1
-1

M A P H Æ I

S. R. E. Card.

BARBERINI

POSTEA

URBANI PP. VIII.

P O E M A T A.


Præmissis quibusdam de Vita AUCTORIS &
Annotationibus adjectis.

----- *Miscuit utile dulci.*

Edidit JOSEPHUS BROWN, A. M.
Coll. *Regin. OXON.*

O X O N I I,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,
MDCCXXVI.



Imprimatur,

JO. MATHER,

Vice-Can. Oxon.

Jul. 23. 1726.



EDUARDO HASELL

DE

DALEMANE

IN

Agro *CUMBRENSI*

ARMIGERO.



QUUM à prima fere ætate
ea inter nos fuerit notitia,
ut me in Familiarium tuo-
rum numerum adscripse-
ris; quum ad Literas excolendas in

a 2

Col-

D E D I C A T I O.

Collegio studiis humanioribus florentissimo liberalitate tua me ultro adhortatus fueris; excusatum me velim Tibi, Amicissime Juvenis, si dulcis hujus Consuetudinis Munificentiaque memoria faciat, ut tuam in me Benevolentiam, meam erga Te Observantiam palam profiteri auserim.

Quocirca accipias, Vir Integerri-me, Sacra hæc Poemata, à *Maphæo Barberino* per intervalla Negotiorum olim conscripta, meaque denuo parva atque humili opera in publicum prolata. Quæ Tibi ea mente in manus trado, ut iisdem pariter in evolvendis, quibus se Auctor in conscribendis, Temet interdum oblectares. Quam quidem animi remissionem, utcunque aliis forsan non adeo injucundam, Tibi certe pergratissimam fore mihi facile polliceor, qui eodem ipse, quo *Maphæus* olim, Pietatis ardore incalescis, ob morum Verecundiam æque spectabilis, ob
flu-

DEDICATIO.

studium erga Ecclesiam vere *Primævam* magis profecto suspiciendus.

Mihi interea haud vitio vertatur, quod Auctorem hunc ingenuum; summeque pudicum, apud nos jampridem rariorem, in medium protulerim; quod illius Virtutes, eas saltem quæ ad mores spectant, tenuioribus Musarum Alumnis serio commendaverim. Hac præsertim tempestate, cum Poesis, optimos in usus instituta, in pessimos subinde rapiatur; eaque in scriptis poeticis invalescat obscænitas, ea effrænata licentia, quæ legentium non tantum pudori vehementer officiunt, verum Arti ipsi diviniori immeritam penitus inurunt labem. Nec humilem aliquem exhibeo aut de plebe scriptorem, sed Principem Virum, sui ævi ingenio præcellentissimum, & non uno nomine celebrandum: Quem suæ non solum ætatis nationisque, sed aliarum gentium alteriusque sæculi

D E D I C A T I O.

culi literati homines haud vulgari
laudatione dignum existimaverunt;
quem Viri è nostratibus insigniores,
ipsique de re poetica optime meriti,
respicere sæpius atque admirari non
erubuerunt.

Sum,

Vir Ornatissime,

Tibi omni Officio

Devotissimus

JOSEPHUS BROWN.

DE
AUCTORIS VITA
ET
SCRIPTIS.

MAPHÆUS BARBERINUS, è nobili & ¹ perantiqua Barberinorum prosapia oriundus, *Florentiæ* natus est A. C. 1568. *Antonius* ei pater è vivis maturius excessit: *Mapheus*, tum triennis, *Camille* matris sub tutela eousque adolevit, donec, primis literarum elementis imbutus, à ² *Francisco* demum Patruo suo, Romanæ Curiae *Protonotario*, Romam accersebatur. Is Nepotem tenellum, eximia ipsius indole probe perspecta, in Collegium ³ Romanum adsciscendum curavit; summisque eum præceptoribus, *Horatio* & *Tursellino* ac *Francisco Bencio* discipulum commendavit, humaniori literatura instituendum. Tantis sub Auspiciis cum aliarum Artium fama, tum Poeseos in primis laude, quali nemo ⁴ equalium suorum, efflorescere cæpit *Mapheus*; qui hac in parte *Aurelii* ⁵ *Ursi*, poetæ ⁶ istorum temporum celeberrimi, iudicio usus fuerit.

Quamvis autem in *Mapheo* ingenium eluxerit poeticum; eoque se studio unice delectari palam ipse indicaverit; ad Negotia tamen resque publicas tractandas à *Francisco* destinatus, ab amænissimo Musarum amplexu ægre revellitur: quas tamen, ubi vacuo esse animo licuit, nunquam deseruit; nec ab illis ullo deinceps tem-

¹ Gens Barberina 500 annos floruerat. *Ciacomius* de Vit. Pont. & Card.
² *Ciacom.* de Vit. Pont. & Card. ³ *Societatis Jesu.* ⁴ *Freherus* in Theatr. Vir. Clar. *Jan. Nic. Erythrei* pinacotheca Vir. illust. ⁵ *ibidem* Et *Ghitini* in Teatr. &c. ⁶ *Olai Borrichii* Dissert. Acad. de poetis. ⁷ *Ibidem* & *Jan. Nic. Erythrei* Pinacothec. &c.

(VIII)

porro, ullis quantumvis ¹ alienis occupationibus penitus abstrahi potuit. Ex Patruī igitur consilio, cui morem non gerere ipsi religio fuit, Roma relicta *Pisas* ² se contulit; & Jurisprudentiæ ibidem animum appellens, in ea tantum profecit facultate, ut Juvenis admodum, viginti sc. Annorum, *Doctoratus* ³ laurea fuerit insignitus. Brevi dein Romæ reducem perhumaniter eum, uti par erat, excepit *Franciscus*; & quem vivus in Filii loco habuerat, jam moriens eundem testamento adoptavit, & ⁴ amplissimi Patrimonii instituit hæredem.

Maphæo, re familiari plurimum aucto, & *Odoardi Cardinalis* ⁵ *Farnesii* amicitia cohonestato, facilis in Aulam Pontificiam patuit aditus; variisque ⁶ muniis, quæ ei demandata erant, obeundis adeo se habilem exhibuit novus Aulicus, ut apud omnes spem summam atque expectationem sui excitaverit. Quanti eum fecerit *Clemens VIII.* Pontifex prudentissimus, ex hoc facillime judicari potest, quod Ecclesiæ ⁷ *Naxarenæ* Præsulatu dignum, quod uni atque alteri gravissimæ legationi parem existimavit. Quippe, Delphino Galliarum Principe recens nato, *Henricum IV.* ea de causa pontificio nomine gratulatus est ⁸ *Maphæus*. Nec longo post intervallo, cum eundem *Henricum* vi fuerat adortus, eique cultellum in os impeggerat nefarius ⁹ Perduellio; cumque Jesuitæ omnes, execrandi hujus consilii Auctores, è regno pulsi erant; Columna in tanti facinoris memoriam *Parisiis* extructa: Quo desperatis Jesuitarum rebus melius consultum foret, idem denuo legatus in Galliam profectus est. Ibi tanta valuit apud potentissimum Monarcham gratia, eaque apud Viros, qui rerum summæ præfuerunt, Auctoritate, ut famosum istud monumentum sublatum iri obtinuerit; ac tum

¹ *Jan. Nic. Erythræi* pinacothec &c. ² *Ciacon. de Vit. Pont. & Card.* ³ *Ibidem. & Ughell. Ital. Sacr.* ⁴ *Ibidem.* ⁵ *Ibidem.* ⁶ Erat majoris *Præsidencie* Abreviator, à Sixto V. inter *Justitiae*, à Gregorio XIV. inter *Signaturæ Gratiæ* *Referendarios* cooptatus, dein Romanæ Aulæ *Protonotarius*, ac Cameræ Apostolicæ *Clericus.* vid. *Ciacon. &c. Ughell. Ital. Sacr.* ⁷ *Ibidem.* ⁸ *Ibidem.* ⁹ *Vid. Thuan. & Davil. Hist.*

porro

(IX)

porro, ut ipsi *Jesuitæ*, per ¹ novennium exulantes, in *Patritiam* impune redirent, impetraverit.

Ob hæc ingentia *Romanam* in Ecclesiam merita, dignus habebatur *Maphæus*, qui maximis honoribus, quos tandem adeptus est, in eadem cumuletur. Etenim absens in *Cardinalium* ³ *Presbyterorum* ordinem à *Paulo V.* cooptatur; ⁴ *Spoletanæ* insuper Ecclesiæ præfectura donatus. In Italiam ergo regressus, *Spoletam* statim contendit Purpuratus Præsul; ubi omnes vigilantissimi ⁵ Antistitis partes egregie implevit: In egenos munificus emicuit; in ædes sacras, quarum Nitori ac Magnificentiæ plurimum consuluit, splendide ⁶ liberalis; maximumque sui desiderium apud *Spoletanos* reliquit, quod & ipsi ⁷ monumentis publice erectis grato animo testabantur: quippe ad *Legationem Bononiensem* à Pontifice amandatus, se Provincia Episcopali, quando ei satis interesse non potuerit, lubens ⁸ abdicavit.

Sub hæc fere tempora in publicum primo prodierunt, ⁹ invito tamen atque incio Auctore, *Cardinalis Barberini* ¹⁰ *Poemata*. Quæ, cum mediis in negotiis, sæculo etiam musis paulo iniquiori, ea temere quasi effuderit, ideo minus subinde accurata extiterunt, neque ex omni parte absoluta; ex iisdem tamen deprehendet Lector neque indolem uberrimam neque limatum iudicium Auctori nostro defuisse; Persentiet illum cum in omni Carminum genere, tum in veterum poetarum scriptis fuisse versatissimum; Atque ipsis in Paraphrasibus sacræ scripturæ (cujus ea est simplex Majestas, quæ ornatum fere omnem

¹ *Petavii* Ration. Temp. ² *Ciaccon*. de Vit. Pont. & Card. *Platina* continuat, per Dominum P. *Rycaus*. ³ *Ciaccon* de Vit. Pont. & Card. ⁴ *Ughel*. Ital. Sacr. ⁵ *Idem* ibidem ⁶ *Idem* ibidem. ⁷ *Ughel*. Ital. Sacr. ⁸ *Ciaccon*. de Vit. Pont. & Card. *Ughel*. Ital. Sacr. ⁹ vid. *Testimonia*. ¹⁰ Latina sc. (extant enim illius nonnulla Hetrusco idiomate conscripta) è quibus pauciora primo edita erant; novæ autem cuilibet Editioni aliis de novo additis, in ingens tandem volumen excrevit poematum libellus: Eaque postremis Editionibus, *Romana* sc. ac *Regiæ Parisiensis*, insuper accesserunt carmina, quæ eundem forsitan, quem cætera, vix sapient Auctorem. Nos, mediâ quasi Viâ insistentes, ea tantum exhibuimus, quæ in *Plantiniano* exemplari (aliis præstantioris notæ cum eodem collatis) reperiuntur; quod etiam exemplar *Urbanus VIII* suo diplomate evulgandum sancivit.

exsuperat) eousque excelluisse, ut neminem antecessorem sibi parem habuerit, successorem hæcenus neminem.

Quantum de literis meruit illustrissimus *Cardinalis*, uti ex literato ipsius otio æstimare fas est, ita ex ea pariter, quam cum doctissimis hominibus impensissime excoluit, consuetudine & commercio. ¹ Eruditos omnes, quotquot è *Græcia* ac *Oriente* Romam confugerant, perpetuo fere hospitio excepit, linguarum eorum ² *Gentili-tiarum* peritissimus. Cum ³ *Johanne Ciampolo*, *Virginio Cæsario*, *Hermannò Hugonè*, cæterisque ingenio præcellentibus, quos aut Italia aut Gallia enutrierat viros, ei intima intercessit familiaritas. *Thoma* ⁴ *Dempstero*, è Scotia oriundo, benignissime usus est; Et, qui ex Aula Anglicana se Romam receperat, ⁵ *Joanne Barclaio*; qui Patroni sui imaginem paulo ante, quam *Cardinalis* in *Pontificatum* evectus est, in *Argenide* eleganter depinxit, quam postremo in loco subjicere (neque enim res à Pontifice gestas attingere hujus est instituti) abs re non alienum duxi.

“Cum igitur ⁶ *Ibburranem* Arsfidas nominavisset, occasione arrepta; Quis autem ille Vir, inquit, & quæ illum Virtutes Vobis commendant? Tum Arsfidas, ille quidem in Lydia natus est, ait, & sola Amicitia nobis junctus, quam Meleandri humanitas curiose sancivit; cæterum dignus, quem omnium gentium Vota optent in civem. Ex vetusta nobilitate Lydorum est; & inter negotia eductus, lætum animum rebusque maturum disciplinis ac solertia implevit; cumque accederet opulentia vis omnes honestatura dignitates, coepit juvenis fungi muneribus quæ sunt in Deorum cultu eximia. Paulo tardius tamen, quam speraverant Amici, ad purpuram venit, quam multorum opinio illi cum lanugine destinaverat. Sed ad Gloriam fuit prius dignitatem mereri quam habere. Inde tribunalia, legationes, provincias obivit; ne quære quo genio: par illi ubique

¹ Ciacon. de Vit. Pont. & Card. *Platina* continuat. per Dominum P. Rycau. ² *Iidem* ibidem. ³ *Jo. Baptista Laurus* in Dialog. de Viris sui ævi illustribus. *Jen. Nic. Erythraei Pinacothec. &c.* ⁴ *Ibidem.* ⁵ *Ibidem;* ⁶ *Ibburranes*, literis transpositis, *Barberinus*.

“Æqui-

(XI)

“Æquitatis & Clementiæ fama. Et quanquam splendido
“cultu atque in egentes profuso patrimonium vexabat,
“ea fuit integritas, ut non modo à peculatu abesset, nec
“venderet judicia (à quibus vitiis abesse nunc magnum
“putatur) sed nec oblati Regum muneribus, quæ cæte-
“ri ambiunt, libertatem donaret. Illi animus simul hila-
“ris & severus, prout in Virtutes offendit aut Vitia. Mu-
“sas autem, quia eum amaverunt, adeo in summa fortu-
“na non despicit, ut sæpe eas admittat in secretum, re-
“feratque deinde amoenissimo ingenio, quæ illæ dixe-
“runt. Itaque ad eum tanquam Apollinem coeunt, quos
“alta & innocens laurus supervexit vilibus mortalitatis
“curis. Nequid vero ipsi numina negarent, sanguine pro-
“ximos iisdem moribus in suavitatem Charitatis sic junxe-
“re, ut & totam familiam templum putes; & non sine
“præfagio Majores suæ stirpis symbolum Apes fecisse,
“ex quibus pro merito atque temporibus nec Aculeos
“nec Suavitatem desideres. *Argen. lib. 1.*



TESTIMONIA.

Joannes Barclaius in *Epistola ad Jo. Bapt. Laurum de Cardinalis Barberini Carminibus edendis, quæ extat in 2^{da} eorum Edit. Parisiens.*

— **A**GE ergo, mi Laure; perge mirari dignissimos tanto Parente foetus. Desine vero sperare, posse illum precibus suorum flecti, ut hæc summæ mentis pignora edat in lucem. Citius à Sibylla impetres, ne foliis mandet Oracula. Nimirum assuetus Magnitudini suæ hæc ipsa, ad quæ obstupescimus, ideo vulgaria putat, quia sibi afidua & quotidiana sunt. Sed aliam Viam inibo, qua Te publicumque demerear. Finge illum esse Apollinem, ero ego Mercurius; subtrahamque pulcherrimo furto ab ejus penetibus quamque harum Scriptionum offendero. Jam enim, ne quid dissimulem, sic fallere incepti, & hæcenus recte processit. Si mihi ideo irascetur, at Reipublicæ precibus, quam sic juvero, reconciliationem inveniam. ---

Approbatio Doctorum sacræ facultatis Theologicæ Parisiens. ad 2^m Edit. Parisiens.

Divina Carmina ab illustrissimo ac toto Orbe spectatissimo *Cardinale Barberino* cælesti quodam instinctu fusa, summa cum animi voluptate legimus, & expendimus diligentissime. Et si vero commendatione non indigeant, tanti tamen operis Auctorem & Artificem dignissimum

mum iudicamus, cui sempiternum laudis testimonium à doctioribus Musarum Alumnis tribuatur. Effigiem enim *Pindarici* versus summo ingenio, nec minori pietate, expressam politamque nobis exhibuit, cui nec gratiæ nec Veneres defunt. ---

Mat. Casim. Sarbievii *Lyrlicorum lib. 1. Ode*
22. ad Urbanum VIII.

Non stagna Cirrhæ, non ego Phocidos
Desiderârim: Te prope vitrea,
- *Urbane*, Dirce; Te fluenta
Virginei comitantur antri:
Olimque simplex collis & inuius,
Nunc hospitalis, Te duce, Dardanæ
Parnassus immigravit Aulæ,
Et Latii rediére Vates.
&c.

Jan. Nic. Erythræi *Pinacotheca illust. Vir.*
In Maph. Barberini Vita.

Adeoque in hac [Poeseos] exercitatione studioque sese continuit [Maphæus Barberinus] ut nullis negotiorum occupationibus, nullis honorum ambitionibus sit ab eo distractus. Neque mirum si tantam facultatem adeptus sit, ut non videam cui ille deberet cedere, una ætate qui esset: sed, in odis præsertim, proxime ad veterum poetarum laudem videtur accedere. ---

Roberti Boyle *Nobilis Angli Cogitationes*
de Scripturæ Stylo. Oxon. 1665.

Nec tacendus hic mihi est Pontifex Romanus --- *Urbanus VIII.*; utut enim, dum Cardinalis esset, non defuerit ei spes temporalis simul & Ecclesiasticæ Monarchiæ --- aliquando obtinendæ; sed & negotiis non minoribus

noribus implicitus, quam quæ plerisque monarchas exercuerunt, honores autem, Regiis vix minores, asscutus esset; tamen in Cerebro tot curis referto, quot *Ma-chiavellum* torfissent, locus erat Meditationibus in Scripturam concinnandis; cujus portiones aliquot eleganti carmine Paraphrastice ab eo expressas cum voluptate aliquando legi.

Olai Borrichii *Dissertationes Academicæ de Poetis. Sect. 108.*

Agmen claudant duo Pontifices Romani, nostro sæculo in Poetis clarissimis æstimati, *Urbanus VIII.* --- & *Alexander VII.* --- Uterque poematis in luce publica hodieque versantibus notissimus; in *Urbano* plus ingenii poetici, plus nativæ facilitatis, plus etiam artis, ut qui, duce quondam *Aurelio Urso*, egregio Epigrammatum Magistro, in hæc sacra alte penetravit. ---

Musæ Anglicanæ. vol. 1.


Clariss. D. Paulo Herman M.D. &c. Ed. Hannes A. M. ex Æde Christi Oxon.

O quale carmen pollice ducerem
Humi reclinis inter undas,
Inter aves pariter sonoras!
Non me Britannum vinceret Itala
Pubes canendo; non ego cederem
Libens vel *Urbano*, vel ausæ
Grandia *Sar bivii* camœnæ.

ERRATA:

Pag. 78. lin. 6, lege *laenas*. Pag. 88. lin. 18. lege *quoniam*.

•
•
•



P O E S I S

PROBIS ET PIIS

ORNATA DOCUMENTIS

PRIMÆVO DECORI

RESTITUENDA.



UÆRENTEM viridi præcingere
tempora lauro,

Labraque Pegasei tingere fon-
tis aqua,

Me vocat antiquo spoliata decore
Poësis,

Seque sacra formæ luce carere dolet.

A

Quæ

Quæ loquitur, tacito mecum sub pectore volvo, 7
 Lapsaque sic recolens tempora jure queror :
 Cum viguit morum probitas, studiumque pudoris,
 Admisit Pindi nil, nisi casta, Chorus.
 Prisca novem Musas ætas in vertice montis
 Frondiferum lauris incoluisse nemus ; 10
 Has inter finxit modulantem carmina Phœbum,
 Et blandam digitis increpuisse lyram ;
 Fontis & Aonii puro diluta liquore
 Vatum dulciloquos ora dedisse modos.
 Præruptus quid apex montis, placidusque recessus, 15
 Quid lyra, quid Phœbus, Pieridesque monent
 Arboreas inter frondes, cantusque volucrum,
 Et faciunt longam quæ loca grata moram ?
 Semotus rerum strepitu, vulgique tumultu,
 Artibus excultum qua Labor urget opus, 20
 Jucunda specie, fontisque optabilis unda,
 Per juga difficilem suadet inire viam.
 Quam Labor optat amans dum fertur in æthera, nunquā
 Decidua lauri Gloria fronde viret.
 Attamen obnubens illum sub nomine Phœbi, 25
 Virginis hanc Daphnes fabula nota canit.
 Quis blando citharæ sonitu potuisse recludi
 Viventi infernæ ferrea claustra domus ?

Quif.

Quisnam tartareis revocatam credat ab umbris

Threicii precibus conjugis Euridicen ? 30

Humanos animos donec mortalia victos

Corporis angusto carcere membra tenent ;

Non Stygiis ab aquis, nec Averni clauditur antro,

Sordibus at scelerum mens tenebrofa jacet :

Non Acheronteis furiis agitur, at Orci 35

Affiduo premitur sollicitata metu :

Hanc Erebi e septo, merfam caligine culpæ,

Ut rursus valeat libera luce frui,

Æmula virtutum septem vis consona chordis

Non citharæ plectro, sed ratione vocat. 40

Eximios Helicon specioso cortice sensus

Abdidit, ut gemmas lucida concha tegit.

Ætas posterior sprevit quæ tecta latebant,

Extera perquirens, excipiensque sinu.

Dicitur hinc Nymphæ captus fugientis amore 45

Phœbus, & amplexu non potuisse frui ;

Hinc pulchris Orpheus oculis arsisse puellæ,

Pro qua non timuit Ditis adire fores.

Jupiter ex alto pluvium delapsus in aurum,

Hac Danaes violat fraude pudicitiam : 50

Et speciem tauri, plumasque indutus oloris,

Polluit Europæ, Tyndareumque thorum.

Quis ferat impuros Venerem Martemque referri,
Vulcani captos implicitosque dolis ?

Hinc Juvenes proni in pravum, mala semina morum ;
Hauserunt animo, pestiferamque luem.

Proh scelus ! hanc turpi diffundunt carmine priscis
Deterius, fictos qui coluere Deos :

Nomine posthabito Christi, rituque piorum,
Dum foedis modulis flagitiosa canunt,

60

Cultores addunt Veneri, pubemque pudicam
Dedecorum satagunt commaculare notis.

Sic falsos venerans olim gens impia Divos,

Qua Crucis in Montis vertice truncus erat ;

Cypridis erexit spiranti e marmore signum :

65

Hoc & Adoni simul te colere instituit.

O pietas Helenæ ! Christi sanctissima Cultrix

Hinc Crucis ejectum nescia ferre decus,

Evertens Veneris cultum, pia signa salutis

Egregie structa præcipit Æde coli.

70

Ter felix Helene, tanto dignata triumpho.

Proh quantus Veneri nunc renovatur honor !

Carmina perque manus hominum, perque ora, vagantes

Sunt statuæ, Aonius quas polit arte labor.

Quis nocuos tollet cultus ope carminis auctos,

75

Senſa metro claudens, quæ celebrata juvent ?

Cur

Cur magis oblectant lauri, felicior arbos

Si Crux divini pignus amoris habet?

Orphea cur canimus penetrantem ad tartara, victor

Si spolians Erebum Jesus ad astra redit?

80

Te species mutata trahit? spectacula lucis

Et nivis in Christo dat tibi mira Thabor.

O mihi, quæ profint, liceat diffundere cantu,

Sectanti veteres quæ cecinere Patres.

Auspice quo? cujus nutum ductumque sequatur

85

Mens mea, præclarum quæ meditatur opus?

Sit mihi Dux Moses, rubras ad littoris undas

Qui socios Phario duxit ab exilio,

Arida cum virgæ tactu vestigia linquens

Inferni tutum per freta vidit iter,

90

Suspensosque maris fluctus hinc inde relabi,

Absorptasque rotas & Pharaonis equos.

Quas rerum Domino perfolvit carmine grates,

Dum resonant hilari tympana quassa manu?

Ah pereat, castam quisquis violare Poesim

95

Audet, & e myrtonectere ferta comis.

Me trahat Isaciæ cupidum pia gloria palmæ,

Jordanisque sacra qui fluit amnis aqua.

Sceptrafer hic mentem recreans testudine Vates,

Rebus in adversis triste levabat onus:

100

Hac

Hac læsi meritam placavit Numinis iram,
 Dum lacrymis mixtas fudit ab ore preces :
 Hac Mundi nascentis opes celebravit, & almas
 Divinæ laudes & benefacta manus.
 Jam novus ex imo cordis mihi profilit hymnus, 105
 Et Chelys Hebrææ me rapit unus amor.
 Fallor, an ex animis lascivi carminis ardor
 Aufugit, & morum tabida pestis abit ?
 Sic malus e Regis narratur corde Saulis
 Spiritus expulsi corripuisse fugam. 110
 Dirige jam dociles digitos Jessea propago,
 Dum mea dextra tuo pectine pulsat ebur.
 Itala tu mecum Pubes cape nobile plectrum,
 Et monstrum Ifacia perge fugare lyra.

P A R A P H R A S I S
 I N
 C A N T I C U M M O Y S I S
 Exod. Cap. XV.

GLORIAM cæli Domino canamus :
 Nam triumphalem referens honorem,
 Hostium turmas, equites, equosque
 Obruit undis.

Tu

POEMAT A.

7

Tu meum robur, mea laus decusque,
Cælitum Reçtor: mihi tu potenti
Dextera præbes opifer cupitæ

8

Dona Salutis.

Tu Deus magnus, mea lux, Parentis
Tu mei Numen, Columnæ rerum:
Te canet laudans mea vox, tibique

10

Tympana plaudent.

Ejus, ut Dux omnipotens in armis,
Nomen est: trudit Dominus phalanges
In mare, & fractos Pharaonis axes

15

Æquore mergit.

Sicut absorptum petit ima faxum,
Sic Ducum primi, & Comites profundum
Gurgitis rubri subiere hiatu

Vorticis hauſti.

20

Viribus pollens tua Dextra laudum
Emicat pulchra ſpecie; cohortes
Stravit adverſas; tua Dextra fævos
Perdidit hoſtes.

Sic eos, tanquam ſtipulam per agros
Flamma decurrens, tua devoravit
Ira, ſuſpenſos pelagi relaxans

25

Flamine fluctus.

Unda

Unda stat pendens, inimicus inquit,
Persequar, stringam gladium, perempti 30
Concident passim, satiabor ultus

Divite præda.

Spiritus flavit tuus, & repente
Defluens hostes aqua præliantes
Merfit ut plumbum, maris & sub imo 35

Condidit alveo.

Quis, Deus, bello tibi conferendus
Fortis? aut Sanctus probitate par fit,
Seu malos terres, faciensve mira

Protegis æquos? 40

Ad tui nutum digiti dehiscens
Impios tellus rapit, & redemptus
Te ducem sectans populus viarum

Tuta capeffit.

Hac tuo ductu subiens ad aram, 45

Quæ tuum Nomen colit, ob dolorem
En! Philisthæos gemitu frementes

Cernit, & ira.

En! Moabitas timor occupavit:

Principes Edom trepidant: tenentur 50

Ceu gelu, dura Chanaan coloni

Compede vincti.

Irruens

Irruens illos tua vis pavore
Opprimat ; donec pia Gens tuorum
Transeat, tamquam filices, rigentes
Stent sine motu.

55

Nos tui montis tribuas in æde
Incolas poni, tibi quam parasti
Artifex, sedes ubi te colendum
Sacra moratur.

60

Imperat victor Dominus, superbos
Conterens hostes ; sibi dedicatæ
Adstitit Genti Deus, & perenne
Regnat in ævum.

In rubri fluctus Pharaon quadrigas
Intulit ponti ; focios & arma
Sustulit Numen, solidi refusis
Gurgitis undis.

65

Mempheos frendens periit tyrannus
Mersus ; at sicco pede transierunt
Israel nati medium recisi
Per maris æquor.

70

PARAPHRASIS

IN

CANTICUM MOYSIS.

Deut. Cap. XXXII.

TERRA meas audi voces, audite loquentem
 Sidera. Concreſcant ſenſus mihi mentis, ut im-
 ber,
 Et fluat eloquium labiis, ceu roſcidus humor,

Ac veluti pluviæ ſuper herbida paſcua guttæ :

Nam mea cæleſtis Regem vox invocat Aulæ.

Laude Deum cumulate: Dei ſunt omnia partu

Edita perfectò, calles quibus ambulat omnes

Judicium: Deus eſt juſtus ſine labe, fidemque

Intactam ſervat: polluto ſordibus almo

Nomine natorum, venerandum crimine Numen

Læſerunt. Soboles, diris obnoxia culpis,

Hæccine pro meritis reddis maleſana Parenti,

Qui te de nihilo produxit in ætheris oras?

Progenies tecum priſcas, annosque voluta

Præteritos: quæras ab avis & patre, tibi que

Concordes referent. Imum cum Rector Olympi

Reſpiciens orbem, natos ſecrevit Adami,

Diſpoſito varias diviſit limite gentes

Na-

Natorum juxta numerum, quos edidit almus
Isacides. Domini vero pars unus Iacob, 10
Illius & populus: solis hunc vidit in arvis,
Desertisque locis trepido terrore paventem,
Deduxitque manu, tamquam nutricula parvum
Infantem, tutatus eum ceu luminis orbes :
Ac veluti pullos avium Regina volatu 15
Provocat, & sequitur circum volitantibus alis,
Detulit imponens humeris : Deus unicus illi
Dux fuit, atque comes Domino deus exterus ullus
Non erat. Excelsos illum perduxit in agros,
Ut fructus ederet terræ, mellisque liquorem 20
Rupibus ex altis, succumque hauriret olivi,
Ex ovibus lactis latices, & ab ubere vaccæ
Butyrum, Basanque hœdis frueretur & agnis,
Ac flavæ segetis granis albaque medulla,
Et bibulas uvæ saturaret sanguine venas. 25
Dilectus nimium populus, male gratus & excors
Impegit Domino, pinguis post hordea, calces :
Terga Deo vertit, lucis qui tradidit olli
Usuram, & vitæ spirantes indidit auras ;
Deferuit Dominum, galeam clypeumque salutis. 30
Huic acrem cultu bilem movêre nefando,
Proh scelus ! & spreto cælestis Numine Regis

Ignotos coluere deos, & dæmonis aras :
 Dii nuper venere novi, quos ritus avorum
 Nesciit. Æternum liquisti, perfide, Numen, 45
 Cujus opus vivis, cuius tibi dextera vastam
 Inferuit parvo conclusam corpore mentem.
 Aspexit Dominus, stimulis & concitus iræ
 Intumuit, fixitque gravem sub pectore noxam
 Natorum, dixitque: Mei jubar oris ab illis 50
 Avertam, crimen perpendam mente supremum :
 Perdita flagitiis, exlex, infidaque proles ;
 Irritant animum falsi mihi numinis aris :
 Alter & ascitus populus mihi provocet illos,
 Qui modo, non compos mentis, despectus ineptit. 55
 Ignis inardescet, iustaque incensus ab ira,
 Excurret rapidis terræ sub viscera flammis ;
 Hauriet & terram viridi cum germine ; montes
 Funditus exuret. Turmas aciesque malorum
 In caput illorum cogam, cunctasque sagittas 60
 E pharetra fundam. Macie duraque peribunt
 Esurie, volucrum laniati præda jacebunt :
 Lethiferis illos serpentum dentibus escam
 Objiciam, sævisque feris, rabidisque molossis.
 Extera vastabit gladius, pavor intima carpet : 65
 Lactentes pueros absumam cæde, senesque ;

Pu-

Pubentes juvenes simul, innuptasque puellas.
Dixi: Quo fugiunt? ubi sunt? mea conteret illos
Dextera, nec nomen posthac memorabitur usquam.
Sed mea se differt inhibens sententia motum, 70
Ne forsan tumidis insultent cordibus hostes,
Et dicant: Virtutis opus sunt omnia nostræ;
Non hæc gesta manu Domini. Gens indiga mentis;
Prudentes utinam saperent, supremaque sano
Prospicerent animo! Trepidat ut mille cohortes 75
Una fuget? Nisi quod vincas Deus ipse deorum
Tradidit addicens, immitis more, catastæ.
Non ut dii reliqui, pictum seu sculptile Numen,
Jordanis Deus omnipotens in sæcula vivit:
Noster & est judex hostis. Ceu vinea sacris 80
In Sodomæ campis, illorum vinea fundit
Felle graves uvas, & amara bile racemos,
Fel colubri specie vini, faniemque draconum,
Aspidis & virus nullis sanabile succis.
Creditis hæc forsan nobis ignota latere. 85
Nonne meos inter thesauros condita servo?
Me decet ultrices in tempore fumere poenas,
Vosque manet, certo sternat qui funere, lapsus.
Exitii tempus pernicibus advolat alis:
Ifacidæ populum perverso corde rebellem 90

Pu-

Puniet, & servis Dominus miserebitur ultro,
 Aspiciet languere manum sub pondere belli,
 Atque fame absumi reliquos munimine clausos :
 Et dicet : Veniant, & opem in discrimine vobis
 Numina vestra ferant, quorum vos robore freti 95
 Militiæ nomen dederatis, & arma tulistis :
 Adveniant, ubi sunt? quorum dedit hostia vobis
 Tosta cibos, dulcemque meri libamina potum.
 Ecce ego sum solus : nullus Deus omnia nutu
 Temperat, æternum regnans, me præter, in ævum. 100
 Mors & vita mihi parent : sum vulneris auctor ;
 Non oberit quisquam, libeat si ferre salutem.
 Ecce manum tollam, dicens : In sæcula vivo.
 Exacuum gladium flammantis fulguris instar :
 Judicium arripiet directo cuspidis ictu 105
 Dextra, meos vindex arcum protendet in hostes :
 Ebria roranti stillabunt tela cruore,
 Et gladius carnes hostili dente vorabit :
 Nudati primum capitis, captivæque cædet
 Agmina, quæ vinctis nexum sensere lacertis. 110
 Illius populum gentes laudate ; suorum
 Nam meritas sumet justo pro sanguine poenas,
 Et debellatos vindicta comprimet hostes,
 Præsentique suam defendet Numine gentem.

IN

IN CANTICUM ANNÆ

I Regum Cap. II.

PARAPHRASIS.

O QUAM lætitiā mens mea percipit
 In te, fiderei verticis Arbiter!
 Auctam me decoras prole Deus meus;
 Et munimine roboras.

Exultans merito te canit os meum,
 Livorisque vigor frangitur æmulis,
 Cum genti faveas, atque meum tibi
 Sit cordi decus & salus.

Non te sanctior est, sive potentior
 Quisquam, qui facilem pollicitis fidem
 Servet. Jam pereat gloria foeminæ,
 Quæ voces dedit invidas.

Non est, quod sterilem me vocet amplius:
 Objecit veterem dedecoris notam
 Nuper; sed Dominum non latuit Deum,
 Mentis qui videt abdita.

Arcu deposito succubuit manus
 Bellatrix, animis debiliū datæ
 Sunt vires. Dapibus qui fuerat satur,
 Vulgi panibus indiget;

Arcu

Jejunum fatiant fercula dapfilis
Mensæ : sic sterilem progenies beat ;
Et foecunda prius, nunc sterilis, dolet
Raptos funere filios.

Mortales Dominus ducit ad inferos, 25
Quos illinc subito, si libet, eripit ;
Immittit tenebras mortis, & aureum
Vitæ restituit jubar.

Quosdam pauperie deprimit, inclytis
Illos divitiis auget, & evehit ; 30
Atque hunc ex humili Regibus inferit,
Auro & murice fulgidum.

Nam qua lux oritur solis, & occidit,
Tellus est Domini, qua pelagi patent
Tractus, & gemino cardine nititur 35
Cælum fidera deferens.

Iustum propitio Numine proteget,
Et noctis tenebris occulet impium :
Frustra vir, proprio robore præditus,
Ultricem fugiet manum. 40

En ! adversa pavet turma nocentium ;
E cælo Domini vox tonat, & simul
Judex Christus adest, sceptraque tradita
Sumens, omnibus imperat.

IN

IN PSALMUM I. PARAPHRASIS.

O Ter beatus, qui fugit integer
 Mores profanos, nec stetit in viri
 Via scelesti; quique inire
 Pestiferam renuit cathedram.

Hic, seu coruscum sol jubar exerit,
 Seu nox tenebris aera contegit,

Cælestis e legis tenore

Jussa Dei meditans capeſſet;
 Eritque ut arbos, quæ prope rivuli
 Labentis undam floruit, uberes

Edens suam foetus sub horam,

Fructiferis optulenta ramis,

Quam frondium non deficiet vigor:

Et quælibet, quæ fecerit, omnia

Feliciter cedent, superni

Numinis auxilio favente.

Non sic iniquus; sed velut impetu

Abreptus Euri pulvis in aera,

Vanescet, exturbatus æquo

Judicio æthereis ab oris,

C

Longe

Longe a beatis cœtibus exulans.

Patris supremi luminibus via

Est nota justorum, perenni

Impius interitu peribit.

IN PSALMUM CXVII. PARAPHRASIS.

LAUDATE Regem fiderum
Gentes per Orbem diffitæ,
Omnes & populi canant
Diæ laudis honores :

Nam perstat ejus efficax

Nos protegens clementia,

Inconcussaue veritas

Omni permanet ævo.

Patri, simulque Filio,

Tibique, sancte Spiritus,

Nunc sit, jugiter ut fuit,

Omni gloria sæclo.

IN

IN PSALMUM CXXXVII.

PARAPHRASIS.

SEDIMUS in ripis flentes, Babylonis ad amnem,
 Dum memores Solymæ nos pia cura subit.
 Hic taciti falicum suspendimus organa ramis,
 Exosi mixtis verba ciere fonis.

Carmina suadebat nobis, quæ compede vinctos 1

Nos patrio abduxit de lare, sæva cohors ;
 Flexanimum nobis modulantes dicite carmen,
 Quod cantare sacra fœvit in æde Sion.

Quæ Domini vox nostra pio modulamine dias
 Externa laudes in regione canet ? 10

Non delenda meam teneant oblivia dextram,
 Si fuero oblitus sacra tui Solyma.

Deficiat mea lingua meis in faucibus hærens,
 Si non grata tui mens erit usque memor ;
 Si qua mei poterunt admittere gaudia sensus, 15
 Quæ pluris faciens te potiora rear.

Gentis Edom fixam condas in pectore noxam,
 Nec fugiat Solymæ te truculenta dies :
 Nam genus infandum frendens, Exscindite, dixit,
 In præceps donec funditus acta ruat. 20

Infelix Babylon, felix quicumque rependet

Digna tuæ vindex præmia sævitæ.

Ter felix, quæcumque tuos ex ubere raptos

Allidet faxis foeda cruore manus.

IN

CANTICUM EZECHIAE,

Isaïæ Cap. XXXVIII.

PARAPHRASIS.

IN medio vitæ cursu mea deficit ætas :

Amica, dixi, me cadens lux deferet ?

Infernasq; domos subeam ? Quo protinus, inquam,

Reliqua meorum pars dierum transfugit ?

Non te viventes inter mea lumina cernent,

Tuumque templum, conditor cæli Deus.

Non dabitur posthac hominis mihi cernere vultum,

Nec, qui beatæ Ædem quietis incolit.

Abripitur mea progenies ; nam Regia, quæ stat

In me, domus convolvitur, plicatilis

Ceu casa pastorum : subito mihi vita recisa est ;

Sic orsa textricis fecat telam manus.

Mane præit, propero vesper jam lumine fulget ;

Instatque lucis tam cito finis meæ ?

Spe-

Sperabam meliora dies ut postera ferret; 15

At comminutæ ceu leonis dentibus

Sunt mihi compages, contritæque corporis ossa.

Heu! mane vivens non videbo vesperam?

Vox questus cohibere nequit: sic stridet hirundo;

Sono columba lugubri sic ingemit. 20

Languida suspiciunt solum mea lumina cælum:

Me, summe rerum Rector, ut vis opprimit!

O mihi dexter ades: Quid possim dicere? præstas

Majus petitis; membra morbus deserit.

Jugiter exactos animus meditabitur annos; 25

Fundens amaras præ dolore lacrymas.

Sic Deus, ut vivam, tribuis? si vita mei sic

Est spiritus, me, vivus ut sim, corripe.

Ecce venit pax alma, favis mihi dulcior Hyblæ

Meus est amaror usquequaque amarior. 30

Nam tua me sævæ rapuit clementia morti;

Projecit hæc post terga molem criminum,

Qua fueram gravis. An laudans hæc dicat Averni

Superbus hospes? anne spes in te locet?

Hic tua facta canet vivens, ut carmine dicam 35

Et ipse, dicet & pater nepotibus.

Me, Deus, incolumem ferva; dum vita manebit,

Tuos honores plectra nostra concinent:

Con-

Concentuque pio resonabunt atria Templi,

Litat ubi supplex victimas tibi Sion.

49

IN

CANTICUM ISAIÆ

Cap. XII.

PARAPHRASIS.

FASSUS potentem dexteram, Rex cælitum,
 Tuam canam clementiam :
 Affixeras adactus iræ turbine,
 Me nunc benignus recreas.

Deus ecce Salvator meus, non terrear

5

In posterum, fidens agam.

Dominus mihi dat robur afferens decus,

Et factus est mihi salus.

Salvabit omnes ; illius de fontibus

Haurite aquas in gaudio.

10

Dicetis, illa cum dies illuxerit,

Domini canentes gloriam.

Ejus referte inventa nationibus

Terræ per Orbem diffitis.

Hunc invocate, ab ore laudes fundite ;

15

Nam Nomen ejus inclytum.

Can-

Cantate, nam præclara patravit potens;

Narrate Mundi finibus.

Lauda Sion, lætare; nam tibi favet,

Adestque sanctus Israel.

20

IN

CANTICUM HABACUC

Cap. III.

PARAPHRASIS.

QUÆ, Pater omnipotens, olim promissa dedisti
 Audivi, timuique simul. Tua dextera mirum
 Struxit opus, firmans facias ut tempore certo

Prodeat, & notum pateat: Clementia, iustis

Posthabitis iræ caufis, feret inclyta palmam.

Ex Austro Deus, & Sanctus de culmine Pharan

Adveniet: fulgens diffuso lumine complet

Laus ejus terræ tractus, & gloria cælum.

Ejus erit splendor, veluti lux; summa potestas

Ex utraque manu fundetur; ab hisce salutem

Vis invicta latens mortalibus adferet ægris.

Ante pedes ejus languens, lorisque revincta

Mors ibit, victusque tremet regnator Averni.

Dum fletit, est mensus terram, spoliisque potitus,

Quæ

Quæ dudum tenebris infernum clauferat antrum. 15
 Aspiciens populos solvit, montesque supremos
 Attrivit ; collesque caput flexere genuque,
 Illius æternos gressusque viasque videntes.
 Nequitiae Æthiopes vidi scelerique favere :
 Sed terræ Madian tentoria turbabuntur. 20
 An tuus e fluviis fervens ruet impetus iræ,
 Ceu quondam, Pater Alme, rubri vel ab æquoris undis?
 Qui salies in equos, tribuas ut dona salutis,
 Quam deferre tuæ cernentur ponè quadrigæ.
 Pacificum extolles jurati foederis arcum, 25
 Et fluvios terræ scindes ; montesque tuentes
 Te superum Dominum, capti mœrore dolebunt.
 Transiit effusus tumidarum gurgēs aquarum :
 Extulit ex imo lætās domus infera voces,
 Et manibus plausit sublimis Regia cæli. 30
 Sol & Luna suis stabunt in sedibus ; ibunt
 Igniti in morem jaculi, lucemque ferentis,
 Ut tua præfulgens quæ cuspide fulgurat hasta.
 Protinus attonitam quatiēs formidine terram,
 Prosterneſque gravi Gentes correptus ab ira ; 35
 Egrediens, populum ut justum tua dextera ſervet,
 Securumque malis ſubducas vindice Chriſto.
 Deleſti caput infeſtum quod protulit Orcus,

Fun-

Funditus exscindens talos collumque superbum :
 Illius ablato sceptro, & ditione subacta, 40
 Agmina fudisti, cædens equitesque ducesque,
 Ut me protererent venientes, turbinis instar.
 Lætitia illorum, qualis solet esse potentis,
 Qui, spolians inopem, clam præda gaudet abacta.
 Undarum fremitu spreto limoque tenaci, 45
 Est ab equis reclusa tuis via lata per æquor.
 Audivi, subitusque metu mihi viscera motus
 Perculit; ad vocis tremuerunt labra fragorem.
 Putrescant, precor, ossa mihi, scateamque sepultus
 Vermibus; ut veniente die terroris in altum 50
 Ascendam, & focius nostris pugnare paratis
 Adnumerer. Termes siquidem sterilefcet olivæ;
 Non edet mendax ficus neque vinea foetus;
 Culta nec arva ferent promissam in tempore messem;
 Abscissum pecus e septis raptumque peribit; 55
 Armento vastatus ager, caulæque carebunt;
 Ast ego lætabor: Domini fruar ore, Deumque
 Te, Jesu, aspiciam. Jesu, mihi roboris auctor,
 Tu pedibus tribues cursum protendere, cervi
 Præpetis in morem, subeant ut culmina; victor 60
 Tu sacra me cæli duces ad templa canentem.

IN CANTICUM
TRIUM PUERORUM

Dan. Cap. III.

PARAPHRASIS.

TE rerum Dominum, te, Deus Ifaci,
Æternæ canimus laudis honoribus;
Tollit nostra tuum nomen in æthera

Vox concors. Solio qui super aureo,

Ut fons, perpetuos undique gloriæ

Diffundis radios; & super Angelos,

Et supra Cherubin innumerabiles

Annorum in series omnia temperans,

Supremo refides lucis in ambitu,

Et terræ latebras inspicis abditas.

Vos, quæ Mens Domini condidit, omnia,

Æternam Domini dicite gloriam,

Illum perpetuis tollite laudibus.

Astrorum Domino plaudite Cælites,

Stellantes Dominum dicite vertexes.

Cælesti Dominum psallite murmure,

Quæ convexa super sidera sunt, aquæ;

Vir-

Virtutes Domini quælibet, inclytis
Cantantes Dominum tollite laudibus.

Sol tu, qui radiis tempora cingeris,

22

Tu, cujus facies lumine mutuo

Fulget, Luna, Dei dicite, gloriam.

Regem Cælicolum dicite fidera.

Ros, imber, pluvix, flamina, turbines,

Æternis Dominum tollite laudibus.

25

Æstas, ignis, hyems, frigora, grandines,

Nix, quæ cum glacie in montibus albicas,

Et vos cana gelu gramina roscido,

Æternam Domini dicite gloriam.

Noctes cum tenebris, luce dies micans,

30

Et vos cum levibus fulgura nubibus,

Æternis Dominum tollite laudibus.

Tellus cum viridi germine frondium,

Colles frugiferi, culmina montium,

Et gemmata novis prata coloribus,

35

Uvarumque gravis vinea foetibus,

Æternam Domini dicite gloriam.

Fontani latices, flumina, cæruli

Fluctus, & soboles humida piscium,

Et vos o volucres, ætheris incolæ,

40

Æternis Dominum psallite cantibus.

Vos omnes pecudum cum grege bestię,
 Vos proles hominum, vos domus Israel,
 Et vos, qui dominum sanguine victimę
 Placatis, Domini dicite gloriam.

45

Vos, quorum pietas, puraque sanctitas,
 Et recti studium moribus integris
 Æterno Domino reddit amabiles,
 Æternis Dominum tollite laudibus.

Concordis modulo vocis Anania,
 Et vos, Azaria, & Misael, intimas

50

Cantantes Domino solvite gratias ;
 Nam vos ex Erebi faucibus abstulit,
 Nam vos eripuit mortis ab unguibus,
 Nam vos e mediis eruit ignibus.

55

Immenſas Domino reddite gratias,
 Lætis unanimes plaudite vocibus,
 Lætanti Dominum dicite carmine,
 Æternam Domini dicite gloriam,
 Æternis Dominum tollite laudibus.

60

Vos, quorum pietas reddit amabiles
 Æternis Domino laudibus inclyto,
 Concordes Dominum psallite cantibus.
 Non ut dii reliqui, solus in aureo
 Sublimis folio, subdita temporis

65

Fron-

Frontem & terga premens regnat, & infima
Terrarum placido lumine respicit.

IN CANTICUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Luc. Cap. I.

PARAPHRASIS.

AD astra Regem cœlitum
Tollit meum cor laudibus ;
Et in Deo, qui detulit
Mihi salutem, gestiens
Exultat usque spiritus.
Placido suam nam lumine
Famulam benignus respicit.
Meam canent in sæcula
Beatitatem posterī.
Me, cujus est potens manus,
Sanctumque nomen, unicæ
Felicитatis ultimum
Evexit ad fastigium.
Quotquot fidei pectore
Eum timent, cum filiis
Et filiorum filios

5

10

15

Dei

Dei fovet benignitas.
Sternit potenti brachio,
Et mente cordis intima,
Quos spiritus superbiæ
Sublimiores evehunt.
Deturbat ex eburneis
Potentiores sedibus,
Humilesque in altum sublevat.
Bonis replevit pauperem,
Opesque ademit diviti.
Suæ memor clementiæ,
Suscepit Israel sacro
Puerum suum cum gaudio ;
Ut est locutus patribus
Nostreis, Abramo, & illius
Perenne in ævum semini.

20

25

30

IN

IN
CANTICUM ZACHARIÆ

Luc. Cap. I.

P A R A P H R A S I S.

I S A C I D U M Dominum sacro vox consona plectro
 Concinat; invisit placidus, largoque redemit
 Sponte suum pretio populum, nobisque salutis
 Præsidium regale dedit de semine David,
 Ut veterum Vatum dictis est sæpe locutus. 5
 Ex inimicorum manibus tulit ille salutem,
 Et nostris clemens Patribus, quæ sanxerat Abram,
 Complevit jurata memor promissa, daturum
 Se nobis penitus vacuis terroris, ut illi
 Hostis ab infidiis tuti famulemur, in omni 10
 Ætatis nostræ cursu pietatis amantes.
 Tuque puer, Vates Regis dicere perennis :
 Aspera quippe viæ sternes, Dominoque præbis,
 Erudiens culpæ solvendas compede gentes.
 Nos Deus invisit miserans, exortus ab alto 15
 Ferre novam lucem in gelidæ recubantibus umbra
 Et mortis tenebris; ut recto calle per alnum
 Pacis iter nostri valeant incedere gressus.

IN

IN
CANTICUM SIMEONIS

Luc. Cap. II.

PARAPHRASIS.

NUNC tuo, juxta tua dicta, fervo
Solve vitales, Pater alme, nexus;
Cernit Auctorem mea lux salutis,

Excipit ulna,

Quem tuo Regem populo parasti,

Gentium lumen tenebris fugandis,

Gloriam David, decus & perenne

Isacidarum.

IN HYMNUM

SS. AMBROSII ET AUGUSTINI

PARAPHRASIS.

LAUDAMUS omnes te Deum, te fiderum
Orbisque Regem dicimus.

Telluris omnis tractus, & maris plaga

Patrem perennem te colit.

Sanctum beati Cherubin & Angeli,

Sanctum poli te vertices,

San-

Sanctum chori te Cælitum, te exercitus,
 Te pacis æternæ Deum,
 Dominumque voce consona ter optimum
 Indefinenter concinunt.

10

Sublime terram gloriæ culmen tuæ,
 Cælique complet ambitum.

Vates sacri te, Martyres & Virgines,
 Apostolorum te chorus

Laudat ; per orbis terminos fidelium

15

Te confitentur agmina,

Summæ Patrem potentiæ, Sanctum tuum,
 Verum, unicumque Filium,

Almumque Spiritum. Supremus gloriæ

Tu Rex, perennis Filius

20

Tu, Christe. Virginis sacra te claudere es

Dignatus alvo, perdit

Hominis redemptor ut fores. Tu viribus

Mortis recisis, lucidam

Cæli recludis semitam credentibus,

25

Sedesque felices parās.

Tu Patris ad dextram Dei regnas, par

Fruens beatus gloria.

Venturus esse crederis Judex. Tuo

Juva redemptos Sanguine ;

30

E

Con-

Concede ut inter ordines Cælestium

Beent suprema gaudia.

Gregem tuum ne deferas; illum rege,

Pascens salubri pabulo.

Laudamus omnes te diebus singulis,

35

Tuoque sanctum Nomini

Genu precantes flectimus. Tu criminum

Contagione libera

Nos hoc die : tua fovens clementia

(Hæc nostra spes) nos erige.

40

Fidens tibi, superne Rex, unquam mea

Non spe salutis excidam.

IN

CHRISTI DOMINI

NATALEM DIEM.

NASCERIS, alme Puer, gelidæ sub tempora
brumæ,

Nec igne fota mollis excipit torus

Membra tenella; jaces arenti nudus in herba

Inops, rigensque frigore inter humidæ

Nigrantes noctis tenebras sub paupere tecto;

,

Tibique deest ubi recumbat occiput.

Ut

Ut nos non solum doceas, dum linquis Olympum,
Per hos gradus malorum ad astra progredi :
Sed quia nunc iterum Cæli Sol igneus orbem
Remensus, aureo sedens in effedo, 10
Ad nos regrediens tendit, celeresque jugales
Reflectit, ut suam recurrat orbitam ;
Ceui Iani est annum solito de more Kalendis
Novum auspicata Civitas Quiritium ;
Hinc quoque te nato nobis felicior annus, 15
Puer, salutis Orbis auctor, incipit.
Quandoquidem vero fulgentem lumine Solem,
Vetusta quo fugatur umbra criminum,
Te genus humanum noscit, veneratur, adorat,
Et excitat sopore victa lumina. 20

CHRISTI DOMINI MOX MORITURI CUM BEATISSIMA MARIA MATRE COLLOQUIUM.

CH. **I**NSTAT, sacra Parens, temporis ultimum
Momentum ; rapiunt me tibi, quæ vocant
Summi jussa Parentis
Optatam crucis ad necem.

M.V. Heu ! fili, miseram ficcine deferis
Matrem ? me miseram ! cor mihi faucias
Dura cuspide vocis.
Sic me, lux mea, deferis ?

CH. Jam primis animam mors petit ictibus ;
Non sic transfadiget cor mihi lancea,
Ut morfu tuus angor
Carpens viscera dividit.

M.V. Per quod jam puero lac tibi præbui,
Ne me, qui cruciet, linque superstitem
Tanto, Nate, dolori.
Ah ! pro te moriar, precor.

CH. Dum

CH. Dum mors me rapiet, te manet acrior,
 Qui dum me pareres non tetigit, dolor :
 Orbi non tulit ortus
 Vitam, mors mea deferet. 20

M.V. Heu ! faltem miseræ da mihi præmori.

CH. Patris, dum moriar, vivere te jubet
 Non mutanda voluntas.

M.V. Saltem da mihi commori.

CH. Me complexa fat es, non licet amplius ; 25
 Te jam (quid retinent me tua brachia ?)
 Mater, linquere cogor ;
 Judæ me vocat osculum.

A D

DIVINUM SPIRITUM

H Y M N U S.

SPIRITUS, Superum decus,
 Sancta fidereæ Domus
 Aura, labere cælitus,
 Aura sacra, ter optimi
 Dia Flaminis Aura. 3
 Spiritus radians veni,
 Terror Agminis inferi,

Effi-

Efficax Hominum salus,

Aura sacra, ter optimi

Dia Flaminis Aura.

10

Increata Potentia,

Nutus ætherei globi,

Filii fimul & Patris

Non solutile vinculum,

Fax perennis Amoris,

15

Alma lux Sapientiæ,

Dulcis Hospita mentium,

Cordis ardor amabilis,

Ima pectoris occupa,

Igne pectus adure.

20

Fauſta Nuntia gaudii,

Flamma pronuba Gratiæ,

Præpes adveniens ades,

Noſtra conjugii ſacri

Necſte compede corda.

25

Mens tuo ſine Numine

Hæret, ut ſine palmulis

Puppis & ſine linteis ;

Torpet, ut fluvius gelu &

Terra cana pruinis.

30

Cor tuo ſine munere

Squalet,

Squalet, ut sine fructibus

Arbor & sine frondibus;

Hortus ut sine floribus,

Solis aridus æstu.

35

Ter beatus & amplius,

Cui tuum jubar infidet

Pectoris penetralibus;

Purus huic animus nitet

Lilio magis albo.

40

Ter beatus & amplius,

Cujus innocuum finum

Incolit tua Caritas;

Verna sic oriens rosa

Mane fundit odorem.

45

Quos tenaciter implicat

Otii sopor, excitas;

Quos gravi scelus impium

Mole deprimit, etigis;

Monstra proteris Orci.

50

Tu levamen in arduis,

Lumen in tenebris micans,

Debiles ope sublevas;

Tu potens vigor anxiis,

Vera tu via vitæ.

55

Una

Una meta laboribus,
 Nostra spes, amor & quies,
 Alma copula Cælitum,
 Tu cupita Beatitas,
 Tu suprema Voluptas.
 Fausta Nuntia gaudii,
 Dulcis Hospita cordium,
 Sancta lux animi, veni
 Aura sacra, ter optimi
 Dia Flaminis Aura.

60

61

D E

S. IOANNE BAPTISTA

O D E.

INVECTA bigis Cynthia, candido
 Pellens ore tenebras,
 Argenti nitidum jubar
 Diffundit inter fidera;
 Hinc inde vitro per cava fistulæ
 Vidit hæc ætas Venerem bicornem
 Fulgere, Phœbes æmulam;
 Sed luce lucent folis: hic fons luminis
 Splendet, & irradiat

Cæli

Cæli fidereos globos, 10
 Terrarumque plagas & maris æquora.
 Talis crinibus aureis,
 Fronte serena,
 Formosisque genis oculisque micantibus, ullo
 Non compta fuco, Veritas coruscat. 15

Phoebus liquentem non tamen aera
 Semper luce serenat,
 Non semper mare cærulū
 Tranquillat auræ flatibus,
 Culto nec agri fertilis e sinu 20
 Elicit flores, neque germinantis
 E flore foetus arboris ;
 Atris sed obtegens polum vaporibus
 Sæpe ciet pluvias,
 Nimbos & gelidas nives, 25
 Horrendos tonitrus diraque fulmina.
 Sic & lingua fidelibus
 Nuntia veri
 Vocibus exacuit gladios & fuscitat iram ;
 Fervens cruentas edit ira cædes. 30

Tu, Jordanis ad undas

F

Qui

Qui sacrum Jesu caput abluisti,

Sis testis, incestum tyrannum

Vera voce redarguens.

Indignata furentes

35

Hinc haurit imis spiritus medullis,

Iræque sævo turbine concita,

Curas tumentis corde nutrit vindices,

Vincla parans mulier

Trucisque carceris specum ; &

40

Atrox consilium concipit, ut tuum

Stringat in exitium securim.

Herodianam gaudia Regiam,

Regnantemque replebant

Ortus ob celebrem sui

45

Diem, quotannis nobili

Cultum paratu, non sine cantibus

Et lyræ plectro. Proceres ad aulae

Pompam frequentes venerant ;

Renidet hic paries amictus purpura ;

50

Aurea vasa micant

Et gemmata toreumata ;

Auro texta tori stragula serica

Pictoris referunt opus ;

Pocu-

Pocula lucent ;

55

Circumstant pueri mensam, qui dona Lyæi,

Unguenta, flores & dapes ministrant.

Hæc inter ægra mente recogitans

Iustæ verbera vocis,

Inviso capiti feros

60

Struens dolos Herodias,

Natæ, quid optet, nutibus indicat ;

Mox jubet festas choreas inire.

Hæc obsecuta, leniter

Inclinat ante Regis aureum torum

65

Crura decensque caput,

Dein gyro glomerat vago

Gressus in numerum ; nunc pede candido

Se sustollit & affilit ;

Nunc, levis auræ

70

In morem, celeri percurrit percita motu,

Excepta plausu Regis intuentis.

Quid cæco magis igne

Mentium lumen tenebris obumbrat ?

Juratus ultro Rex puellæ

75

Spondet, quod petet, impetu

Sacri abreptus amoris.

Tunc illa blandis intuens ocellis

Regem, parentis præmonitu sagax,

Joannis alium postulat cædi caput :

80

Rex jubet; innocua

Cervix resecta protinus

Defertur patula lance, nocentibus

Dedecorum metuenda merces.

Extincta sensus spirat adhuc pios.

85

Ut sic ore silenti

Infandos magis increpat

Amoris ignes ! Quilibet

Dolet perempti funus, & impiam

Efferæ causam necis execratur.

90

Proh ! foeminæ mentem trucem,

Cum fervet ira & æstuat libidine.

Tam fera monstra fretum

Nec tellus generat ; leo

Te viso, Daniel, sævitiam exuit ;

95

Illæsum maris horrida

Bellua Jonam

Littoribus reddit. Ferro par foemina lædit,

Magisque flammis ; Pestis & venenum est.

At

At pura castis moribus, & Dei 100
 Jugi fervida cultu,
 Quam dispar docet inclytis
 Juditta gestis? Undique
 Obsessa castris Assyrii Ducis,
 Dum suis cladem pavet imminentem, 105
 Animo cadens Bethulia
 Moerebat; hanc Juditta spes resumere
 Numine freta jubet;
 Mox ponit viduæ stolam,
 Et se lætitiæ vestibis induens 110
 Ductorem petit hostium;
 Nactaque coenæ
 Tempus, Holophernem vino somnoque jacentem
 Cervice fortis conficit recisa.

Per contraria duxit 115
 Una vos virtus, sociatque Cælo.
 Tu, Judith, occidens triumphas
 Fufis hostibus; occidens
 Fuso sanguine palmam
 Refers, Ioannes. Quis tuos honores 120
 Intexat hymnis, & colat, ut decet,
Te

Te fulgidum cæli decus? Mens deficit,

Deficit artis opus.

Mortalis ultra quid potest?

Nam te Christiadum maxima, nomini

125

Sacra tuo, veneratur Ædes.

D E

S. MARIA MAGDALENA

O D E.

INNIXA pennis varicoloribus,

Bombyce fulgens divite,

Molles revincta floribus

Crines, procaci fronte lubricoque

Adspici vultu, faciliq̃ue dulcis

Flexu loquelæ cordibꝯ imperat

Mortalium, quos dum beare creditur,

Interimit suavi præbens sub lacte venenum,

Atque truces molitur, hyæna

Sævior, infidias,

19

Novusq̃ue Proteus mille formas induit,

Ut sacræ leges Themidis resolvat,

Blanda Voluptas.

Hæc

Hæc innocenti sanguine dexteram
 Regis Davidis polluit, 15
 Quo nullus ante gratior
 Regi supremo cælitum; capillis
 Indidit cæsis tibi vincla, Samson,
 Ut te superbis traderet hostibus,
 Quem nulla vis potuit ferocem subdere; 20
 Hujus & impulsu fallacia numina Divum
 Divino dignatus honore est
 Rex sapiens Salomon,
 Qui Conditori fiderum quondam pius,
 Inclytam sumptu celebremque gaza 25
 Struxerat Ædem.

Quid Magdalenam mirer incautam premi,
 Dura compede vinctam
 Diræ sub dominæ jugo
 In flore primævo juventæ? 30
 Quid excolentem corporis,
 Numine posthabito, decorem?
 Illa comas olim gemmis ornabat & auro,
 Studens amantibus videri pulchrior,
 Pubemque gaudens cernere 35
 Lentis ignibus uri.

At

At cum Sororis vocibus anxiis
 Christus precantis annuit ;
 Almo jubente Spiritu,
 E parte cæli defiluit ferena,
 Regiam vittis redimita frontem,
 Puro coruscans lumine Gratia.
 Ut pulchra nubes Iridis coloribus
 Depictas pedibus premit, & felicitis olivæ
 Defert donatura coronam !
 Protinus his radiis
 Icta cadit, artus detegens, & exhibet
 Tabida nolens cute se videndam
 Foeda Voluptas.

Tu, Magdalene, discutis infitas
 Mentis tenebras, & jacens
 Immane monstrum conspicias
 Non ante visum. Quo pudore malas
 Inficis ? Quales gemitus profundis ?
 Jam margaritas ponis, & aureos
 Incompta crines solvis, & Christo ream
 Te sistis, lacrymisque pedes veneraris obortis,
 Atque sacras moestissima plantas

Lam-

Lambis, & imbre rigas,
 Comisque tergis, & relata negligis
 Probra, mox culpis capis exoluta
 Pignus Amoris.

Amanſque amantis igne Chriſti fervida,
 Flagris membra cruentans,
 Priſcos provida fanguine
 Extinguis ignes, & fideli
 Amore conſtans, greſſibus
 Impavidis ſequeris Magiſtrum
 Per gladios haſtaſque Crucis miſerabile pondus.
 Hæres ſepulchro lacrymans ; & exerat,
 Seu condāt undis Sol jubar,
 Compleſ queſtibus auras.

Amor, pericli neſcius horridi,
 Ut morte perſtat fortior !
 Fruſtra frementis æquoris
 Judæa frendens objicit procellis
 Te, neci damnans ; moderantis expers
 Nautæ phaſelus, non ope remigis
 Velive, currit humidās pelagi vias ;
 Se placidi ſternunt fluctus, ſe lucidus æther,

G

Nube

Nube carens ventisque, ferenat.

Jam Paphon, atque Rhodon,

Cretamque linquit; jam Zacynthi littora,

Et Cephalenum legit, Actiasque

Prospicit oras.

85

O! quæ trecentis hæc freta navibus,

Regina, fulcans, Cæsarem

Armis laceffens, ultimam

Regnis parabas Italis ruinam;

Patrio pulsam lare Magdalenam.

90

Si fluctuantis ludibrium maris,

Escam futuram piscibus, nunc cerneres

Cælicolas inter divini nectaris haustu

Sublatam super æthera vesci,

Deliciis frui

95

Cælestis aulæ, quid tibi mentis foret?

Quid decor formæ, Phariusque fastus,

Sceptraque profunt?

En! luce functa habes pudendam regii

Solum nominis atro

100

Regni e funere gloriam:

Nec læta vixisti; superstes

Vix

Vix una puppis reddidit
 Te patrio profugam Canopo.
 Conderis & vivens latebris abstrusa sepulchri, 105
 Coacta mox lethum colubri morfibus
 Ultro subire, Cæsaris
 Subducenda triumpho.

At Magdalene per Siculum fretum.
 Rabiem Charybdis præterit 110
 Secura, finesque Italos
 Egredia, tendit Gallicas ad urbes.
 Huc Dei nutu, Superumque ductu
 Appulsa, portum Massiliæ tenet ;
 Nomenque Christi gentibus disseminat. 115
 Hinc abrepta colit pendens in montibus antrum,
 Quod frontem prope fidera tollit.
 Hic gemit & lacrymat ;
 Hic Angelorum coetibus canentium
 Adstat ; hic unum meditata Christum, 120
 Se quoque nescit.

O me patrato crimine fordidum !
 O me jacentem respice !
 Dux alma poenitentium,

Te Christus audit; nam tuis sepulchro 125
 Excitat fratrem precibus; furentis
 Te de draconis faucibus eximit,
 Et limpidas e rupe lymphas elicit.
 Salve, cara Deo rupes, fons inclyte, salve;
 Jam Pindi mihi culmina fordent; 130
 Tu, sacra lympa, precor,
 E corde prome lacrymas; pro carmine
 Execror myrtum, mihi det coronam
 Ramus olivæ.

O ter beatum! qui dolore percitus, 135
 Vitæ turpiter actæ
 Labes fletibus eluit.
 Virtutis in regno vel ipsis
 Vero referta gaudio
 E lacrymis oritur Voluptas. 140
 Nil tamen in tuto mortalibus, ultima donec
 Recludat hora cuique fortem. Gloria
 Perennat una Cælitum
 Extra vulneris ictum.

D E
 SANCTO LAURENTIO
 O D E.

IBERA tellus, Austrio
 Sub Rege felix, aurifero Tagi
 Te dicant alii flumine nobilem,
 Te classe, te bello ferocem,
 Oceani dominam celebrent, Regnisque potentem ;
 Hic Peruanis divitem metallis,
 Mexici gazis, Arabumque conchis,
 Et mercibus Goæ beatam
 Te laudet ; fera prælia
 Extollat alter & triumphos Caroli,
 Ac temperatis vividum
 Consiliis animum Philippi.

Te concinam Laurentii
 Sacro Parentem lumine fulgidam :
 Non illi facie funeris horrida
 Immane tortoris repertum
 Excussit solida veræ pietatis amorem
 E mente ; palmis nobiles & ostro
 Clarus en ! inter Proceres, decorem
 In-

Indutus æternum, phalangis
 Addit se comitem Duci,
 Cui saxa primum post truce[m] Christi necem
 Conjecta probro gloriam,
 Interitu peperêre vitam.

Acres quid iras aggeras, Rex barbare ?
 Impavidus contemnere novit
 Hispanus juvenis Regum fera jussa. Quid flagellis
 Nuda membra saucias,
 Curvis & hamis lancinata carpis ?
 Fortis resistit. Heu quid impium struis ?
 Mens hæret, trepidat. Quibus,
 Dire Tyranne, feris,
 Te quibus exæquem Colobi, sævissime, monstris ?

Vagas ad undas Tybridis
 Lactavit altrix uberibus Lupa
 Infantes geminos ; pinnigero puer
 Delphinis in dorso natantis
 Sæpe Dicarchæo ludens e littore visus ;
 Et vulnerati pro pedis medela
 Hospitem narrant hominis leonem ;
 Hunc inter atroces ferarum

In-

Incurfus pavidum, canis
 Ut blandiens, adivit agnitum leo ;
 Ambosque pubes Romuli
 Obstupuit sibi gratulantes.

45

Seu prisca verum proferat,
 Seu fingat ætas ; aspide sævior
 Hircanisque feris mens hominis furit.
 Non ursus insectatur ursum ;
 Non perimit colubrum coluber, non tigrida tigris :
 Humana virgas gens, rotas, & uncas
 Intulit terris, pedibusque mortis
 Aptavit alas. Quid Perilli
 Infandum memorem bovem ?
 Nec fontibus, vel hostibus solum minax,
 Sui ministram gaudii
 Perniciem cupit innocentum.

50

55

Te, matricida, te, lues mortalium,
 Incessit tam dira cupido ?
 Nam facibus passim incensam populatus ignis Urbem,
 Te jubente, fletibus,
 Clamore, luctu, cladibus, ruinis
 Complens, in atri verterat formam rogi ;

60

Tunc

Tunc lætus, fidibus canens

65

Diceris excidio

Aufus Trojano miseram componere Romam.

Quo, Musa, Dirces provehunt

Te vela? ferri per tragicos amas

Terrores? Rutilum fidus Iberiæ,

70

Atlantis emergens ab undis,

Te revocat dira tostus Laurentius olim

In crate: formæ nec decor, nec ætas,

Ferreos flectunt animos. Tyrannus

Deridet absterfum cruorem

75

Cælestis Pueri manu.

Ludine vanis perferam præstigiis?

I, miles, inquit; perditus

Det meritas reus igne pœnas.

Et ecce! raptim strenuus

80

Athleta Christi traditur ignibus;

Hos inter thalamus vectibus æreis

Compactus excepit jacentem.

Tres o Jordanis Pueri, decus Ifacidarum,

Ut vestra flammis emicat probata

85

Dispari virtus celebris corona,

Quos

Quos par adegit causa morti
 Ultro exponere pectora !
 Non vos Deira, militum cohortibus,
 Equis & armis obstrepsens,
 Terruit, aut sonitus tubarum.

90

Non vos furentis Regis atrox commovet
 Aspectus ; Nos, dicitis, ô Rex,
 Non aurum, aut statuas colimus ; Deus Israel colendus ;
 Ille solus est Deus.
 Frustra catenis alligas lacertos,
 Et nos in ignes conjicis ; nam præpotens
 Illæfos Deus eruet,
 Si volet, atra licet
 Fluctuet undanti flammæ vortice fornax,

95

100

Nec vana spes ; innoxius
 Vos lambit ignis, vitreus ut liquor,
 Non ausus teneram lædere corporum
 Cutem ; sed infrendens voraxque
 Fertur in adstantes, ardenti membra vapore
 Hausturus ; in vos obsequens, faventi
 Dum Deo grates canitis, furorem
 (Res mira) compescens, ænīs

105

H

Vin-

Vinctos nexibus accipit,
 Reddit solutos, vinctus ipse, languidus, 110
 Inermis. At Laurentium
 Lethiferis petit acer armis.

Arctæ coercent compedes,
 Nudumque prunis concolor æs cremat;
 Jam corpus celeri corripit impetu, 115
 Jam flamma proserpens adurit,
 Et carnem vorat, & graciles depascitur artus.
 Immotus Heros, ut doloris expers,
 Ut rosas inter viridesque myrtos,
 FEMALE tormentum virili 120
 Spernit pectore, dum truci
 Adipem liquatus igne manat: lumina
 Avertit intuentium
 Terribili laniena visu.

Affatus ille, gestiens plenus Deo 125
 Solvi nexu corporis, infit
 Ore renidenti; Fumant tibi jam, Tyranne, cocta hæc
 Membra; mande, vescere;
 En! Aula Cæli se mihi recludit.
 O quam beate moreris! Inclytus magis, 130
 In

Invi&tissime Martyrum,
 Nullus obire potest ;
 Hostibus insultas victor, cadis hostia Christo.

D E

SANCTO LUDOVICO

REGE GALLIARUM

O D E.

OBJECTU gemini maris,
 Illinc Pyrenes, arduis hinc Alpium
 Præcin&ta muris, ingenio soli

Fluxuque dives fluminum,
 Fortium turmis equitum verenda,
 Heroum genitrix, Gallia, bellicis
 Fœcunda palmis, inclyta Regibus,
 Quos longa ferie dedit
 Prisci Capetii genus.

Ut inter omnes thure Ludovicus

Cultus & aris

Cælesti radiat vinctus diademate frontem !

Quas dudum mea parturit

H 2

Mens

Mens foeta laudes, Regis educ optimi
 In lucis oras, Aonii lyra 15
 Sonora cantus obstetrix.
 An piæ primum studium Parentis
 Formandi puerum moribus integris,
 Doctæque raris Palladis artibus ;
 An celsæ decus indolis 20
 Dircaïs celebrem modis ?
 En ! blanda prodis Comitas, Pudorque,
 Lenis & oris
 Majestas ac forma, decens & Gratia linguæ.

Non me tamen moremini ; 25
 Plectrum provocat aureum
 Pulchrius fulgens teneris ab annis
 Laus parta bello. Jactet Alcidæ manu
 Infantis enectos colubros
 Ficto Græcia plausu. 30
 Ut primum nituit murice regio
 Heros, gloria Sequanæ,
 Impuber armis comprimit rebelles.

Ast ætas ubi firmior
 Accedit, omnis abstinens culpæ, Deo 35
De-

Devota jungit pectora, dotibus
 Virtutis auctus ; commoda
 Urbium curat ; studiosus æqui
 Regum delicias spernit, & otium
 Fontem malorum claudit, & amovet 40
 Luxum criminis illicem ;
 Justis præmia dividit,
 Prævosque poenæ corrigit timore.
 Sic populorum
 Munit amore latus, non ense, aut militis hastis. 45

Horti pulchra per areas,
 Hinc inde transfert candidum Virgo pedem,
 Qua mira florum pompa recluditur ;
 Seu quos dedit Britannia,
 Vel Tagi potor, Sporadumve cultor ; 50
 Mox volvens oculos, undique conspicit,
 Et hæret anceps, quem sibi deligat ;
 Illic floret amaracus,
 Hic albet breve lilium,
 Floresque pandunt advenæ decorem ; 55
 Denique certa
 Omnibus illa rosæ Pæstanum prætulit ostrum.

Florem

Florem tibi quem feligam ?
 Te sceptro potior Fides,
 Alme Rex, clarat ; Themis & sorores, 60
 Pietasque majus adferunt tibi jubar,
 Gemmata quam vestis, vel aurum ;
 At, quæ clarior aſtri
 Naſcentis radiis fulſit, & in tuo
 Fulget corde, rapit ſacra 65
 Me luce flagrans Caritas canentem.

Hæc te neſtare Cælitum
 Paſcit, Deique nunc beat præſentia ;
 Hæc vna quondam, dum tuus induit
 Caduca membra ſpiritus, 70
 Se tibi junxit comitem ; viæque
 Index, te Superum coetibus addidit.
 Hinc liberali ſpargis opes manu,
 Sive Altaria conſtruis,
 Seu ſacras reficis Domos, 75
 Ades vel ægris, vel juvas egenos ;
 Hac duce bellum
 Suſcipis, & mortis jaculis caput objicis ultra.

Urbis nam Solymæ vicem

Do-

Dolens, ut impiam opprimas tyrannidem,
 Pacata Regni linquis, & horridis
 Armis petens Pelusium,
 Trajicis textis trabibus phalanges,
 Qua septemgeminò cœrula flumine
 Nilus colorat. Moenia vix quatis
 Arcis, cum subitus fores
 Recludit pavor hostium ;
 Mox victor agmen militum patentes
 Ducis in agros,
 Hostilesque acies geminata clade trucidas.

85

90

Spes sæpe quo propinquior
 Arridet, celeri fuga
 Exitus cœptis adimit secundos.
 Invadit eheu! te lues, & Celticas
 Infesta vis morbi famelique
 Vexat dira cohortes.
 Illinc flumen aquis, hosticus hinc furor
 Denso circuit agmine ;
 Pugnatur; atrox foedat arva cædes.

95

Victum gloria non minor
 Te sequitur, Heros magne, quam cum vinceret.

100

Con-

Constans recusās Martis ab alea
 Lembo per amnem subtrahi.
 Una nos omnes eademque pugnæ
 Sors, inquis, maneat. Vos ego deferam? 105
 Regemque vēstrum me fuga polluet?
 Captivo tibi quas minas,
 Quæve opprobria barbarus
 Infert Tyrannus? sæva quot tuorum
 Funera cernis? 110
 Tu tamen immotus Christo spem ponis in uno.

Nutantes animōs fide
 Firmas, jacentes erigis. Quid, ais, cadit
 Spes vestra? curas pellite lugubres;
 Probat Deus quos diligit, 115
 Hos & educit memor e periclis.
 Olim quæ populus pertulit Israel?
 Hæc ipsa tellus testis; ad invium
 Rubri dum pelagi fretum
 Urgebat Pharaos ferox 120
 Equis & armis; obsequens repente
 Scinditur æquor,
 Erectisque vagæ lapidescunt moenibus undæ.

Electa

Electa ficcis tranfilit

Gens plantis ; mare faviens 135

Defluit rurfus ; rapit infecutum

Ducem procellis, & quadrigas obruit.

Sic fatus, haud exſpes tueris

Flexo poplite Cælum.

Lux ó Chriſtiadum maxima Principum, 139

Heros inclyte, qui tui

Æquent honorem carceris triumph?

Dat dirus tibi Mempheos

Poenas Tyrannus. En ! fuorum concidit

Ferro peremptus, fertaque laurea 135

Mutat cupreſſi frondibus.

Tuque dimiſſus, redimenſque captos,

Oppreſſosque gravi ſervitii jugo,

Appellis Aces littoribus ratem.

Hic te Chriſtiçolæ tenent, 140

Ut ſis certa cadentium

Tutela rerum : haud te trahunt paterni

Commoda Regni,

Nec Genitricis amor, Procerum nec vota preceſque.

I

Non

Non est, quæ premat acrior 145
Te cura, quam Christi superbos frangere
Hostes, & almo Nomine gentium
Delere cultus impios.
Nec pium belli studium remittis,
Donec te Libye, sanguine diffluens, 150
Palma potitum, corporis exui
Arctis nexibus adspicit.
Nunc, ô verticis Incola
Cælestis, audi quas preces decorum
Pallida vultum 155
Religio moerens lacrymis tibi fundit abortis.

Invicte Rex, en ! Gallia
Juncta est rursus Iberiæ
Sanguinis vinclis ; animos & arma
Fac jungat arcum foedus. Heu! quot conficit 160
Europa se discors in oris?
Squalet Punica tellus ;
Te devincta vocat Græcia compede,
Jordanes vocat, & sacrum
Christi Sepulchrum vindicem moratur. 165

DE

DE
SANCTA ELISABETHA
LUSITANIÆ REGINA
HYMNUS.

DOMARE cordis impetus Elifabeth
Fortis inopsque, Deo
Servire, Regno prætulit.

En! fulgidis recepta cæli sedibus,

Sidereæque domus

5

Ditata sanctis gaudiis,

Nunc regnat inter Cælites beatior,

Et præmit aftra, docens

Quæ vera sint Regni bona.

Patri potestas, Filiisque gloria,

10

Perpetuumque decus

Tibi fit, alme Spiritus.

De Eadem Hymnus.

OPES decusque regium reliqueras,

Elifabeth, Dei dicata Numini;

Recepta nunc bearis inter Angelos:

15

Libens ab hostium tuere nos dolis.

I 2

Præi,

Præi, viamque dux salutis indica ;
 Sequemur. O fit una mens fidelium,
 Odor bonus fit omnis actio ; tuis
 Id innuit rosis operta Caritas :
 Beata Caritas, in arce fiderum
 Potens locare nos per omne sæculum.
 Patrique Filioque summa gloria,
 Tibique laus perennis, alme Spiritus.

20

POENITENS.

SEPULTUS altâ criminum caligine,
 Sævique vinctus nexibus,
 Non sub latebris lapidis alter Lazarus
 Claudor, sed hac circumferor
 Defunctus infausta sub urna corporis.
 Jam lingua nullos ederet
 Sonos ; carerent aridi motu pedes,
 Tristesque pallerent genæ ;
 Humi jacerem, nec viderent lumina
 Nitentis aeris jubar :
 Sed ne caducum vita corpus deferat,
 Vicem perempti spiritus
 Christi benigna supplet indulgentia,
 Lutoque reddit illito

25

30

35

Oculis

Oculis suam lucem. Quid, ah ! quid intuoꝛ

Miser ? tenent me compedes,

40

Laterumque versant sordidum manũs opus ;

Et quæ fovet me blandiens

Placido sinu Voluptas, vera Dalila,

Stringit minacem forficem.

Formidolosus in cavernis saltuum

45

Cubile tellus exhibet,

Solumque glandes se mihi dant pabulum ;

• Famis voratus dentibus,

Perire cogor inter immundas fues.

Supplex revertar ad Patrem ;

50

Culpam fatebor, & profusis lacrymis,

Ut cæcus ille vitreis

Siloes aquis se diluit, cor diluam,

Quod noxa foedat fordibus.

Sed heu ! catena, nexibus mihi pedes

55

Arctans, abire me vetat :

Hæc dira vincla tu, Deus Clementiæ,

Solus potes dissolvere,

Meamque solus tu potens Ægyptio

Levare cervicem jugo.

60

Non ego mihi Mosen, tuam sed Gratiam

Ducem regressus flagito ;

Hujus

Hujus per atras noctis umbras luceat

Ignis, viamque dirigat ;

Tutamque plantis virga pandat orbitam

65

Rubri per undas æquoris,

Et infrequentium cohortes hostium,

Equos & axes obruat.

Sic ipse liberum metu sequens iter,

Utinam ferenum conspicer

70

Parentis aspectum ! ad pedes nam procidam,

Gemensque coram proloquar :

Revertor ad te poenitens ; per invias

Abduxit errantem vias

Me culpa ; peccavi, talentis traditis

75

Abusus ; ad te poenitens

Revertor. Ah ! te, qui tui sunt muneris,

Hic fletus, hic meus dolor

Placent ; & ô benigne, da, Pater, mihi,

Tuas ut Ædes incolam,

80

Tibique junctus Caritatis annulo,

Non amplius te deferam.

Hoc una, quæ colore splendet cærulo,

Præstare vestis est potis ;

Hanc nullus usus, nulla deterit dies,

85

Fur nullus aufert ; hanc mihi

Si

Si largiare, corde dicam gestiens,
Corusca fordet Purpura.

CIRCÆI POCULI ALEXIPHARMACUM.

INSERTÆ vario nitore gemmæ
Cum crater micat aureus, rubetque
Stillans nectareo liquore Bacchi,
Quem de purpureis premunt racemis
Præla Celtica, vel ferax Falerni
Promit vinea, dum furens adurit
Sirius canis arva; si nivali
Alget frigore, quid petat, vel optet,
Qui fitit, sibi gratius bibenti?
Sorbens si tamen, inscius venenum,
Quod latet, simul hauserit; quis illum
Dixerit propria perire culpa?
Talis blanda libidinem puella
Excitat roseis genis & ore,
Quo nil pulchrius Ida vidit unquam.
Quærun't hanc juvenes, & intuentur
Intentis oculis, amant, & omni

Huic

Huic grati studio placere curant ;
Noverint licet hinc luem creari
Vino lethifero magis nocentem. 20
O nostram male providam juventam !
Sciens exitium subit volensque.
Quæ vis effera fervet in medullis ?
Hæc, quidquid rationis auget usum,
Sugens abripit ; implicatque curis 25
Impuris animum, necatque sensus,
Quos dictat bona mens. Comæ decore
Sic arbor spoliatur ob tenaces
Amplexus hederæ, peritque languens,
Vitali prope destituta succo. 30
Clades hinc fluit omnis, omne manat
Genus flagitii. Paris Lacænæ
Captus Hospitæ amore, fas fidemque
Lædens, qua prius ipse se, paternum
Hac regnum face perdidit. Quis ignem 35
Nescit e gelidis aquis obortum,
Narcissi miseram vicem ? Puellas
Quid Pandionias, scelusque Terei,
Seu te, Pyrame, flebilemque Thisben,
Vel Phædræ memorem truces amores, 40
Aut potus magici dolos ? Atrocem

Non

Non Circe pateram ; suis Libido,
 Magis sæva, sequacibus ministrat.
 Permessi merito chorus, ferarum
 Sumptis moribus, affeclas Ulyssis
 Indutos specie canit ferina.

45

Satis propudii malum, & furentis
 Infortunia pestis e profana

Ac sacra Historia patent : loquare
 Omnium vice tu revincte, Samson,

50

Fraude foeminea. Fero medelam
 Morbo quærimus ; hanc opus paratæ
 Dolosi madidis liquoris haustu ;

Hac avertere Judicem supremum,

Ne fui super impios ab alto

55

Effundat calicis severus iram.

Nos Joseph fugiens docet tueri

Immunem vitii nota Pudorem.

Non placet fuga ? te monet fugare

Torris ignibus innocens Aquinas.

60

Fuga, vel fuge. Non ubique semper

Est fugæ locus, inquis, & fugantem

Hostit illecebris nimis voluptas.

Blandæ gratia te jubarque formæ

Si potentius ense vel sagittis

65

K

Com-

Comminus petet, eminufve; mentem
 His tanquam clypeo tuere dictis:
 Permanet scelus, avolat voluptas,
 Vindex fequitur dolor perennis.

VEXILLUM CARITATIS
 AD
 NICOLAUM BARBERINUM
 GERMANUM FRATREM.
 IN ILLA VERBA IOB,
 Militia eft Vita Hominis fuper Terram.

QUOD dixi femel, hæreat repositum,
 Amantiffime frater, in medullis;
 Duros militiæ refert labores
 Infelix hominum fugaxque Vita.
 Nam dum pondere corporis gravatur
 Chrifti cultor, ut hofticis ab armis
 Se miles tueatur, eft neceffe;
 Juges excubias agens, famemque
 Et fitim toleret, dolosque vitet,
 Quos fub illecebris procax Voluptas
 Abdit nequitiae graves veneno;
 Frangat horribilem furentis Iræ

Im-

Impetum, Ambitionis & tumultus,
 Et, his quæ ducibus moventur, arma ;
 Eludatque cuniculos latentes, 15
 Quos pravus fodit usus, & Cupido,
 Pertinaciter hinc & hinc petentes
 Munitam ratione Mentis Arcem ;
 Pro qua Sobrietasque Castitasque,
 Ac recti studium, piique mores, 20
 Ductu præsidioque Caritatis
 Si pugnent, inimica vis fatiscet :
 Hac ne decipiamur, est cavendum.
 Nullus est magis acer hostis hosti,
 Quam sit quisque sibi, nocentiorque. 25
 Caritas, precor, alma pelle cladem ;
 Nostro in pectore fixa nos tuere ;
 Te superstiti nil potest obesse ;
 Nihil nos sine te potest juvare.
 Tu, nobis data cælitus, labore 30
 Plurimo retineris atque cura.
 Hoc, frater, meditemur, hoc agamus.
 Non, qui terque quaterque milliesque
 Improbis animi obstitit rebellis
 Victor motibus, obtinet beata 35
 Inter agmina Cælitum coronam ;

Si cedat semel, & tenebricosum
 Sic victus rapiatur ad sepulchrum;
 Sed fortis, vigilique mente constans,
 Qui vivens moriensque non reliquit
 Divinæ sacra Signa Caritatis.

40

A D

IOANNEM DONATUM FRATREM.

Inanis Eruditio fine Pietate.

ASSUESCIT teneris agens ab annis,
 Olim nauta futurus in periclis,
 Inter multiplices maris tumultus
 Puppes cernere fluctuantis æstu
 Jactatas pelagi; diu labores
 Et duras tolerat vices, peritus
 Ut clavum teneat, sciatque, sævæ
 Dum fremens furit impetus procellæ,
 Absque naufragio subire portum.
 Bellator Ducis ut queat supremi
 Fungi munere, per nives & imbres,
 Et sub æstiferum Leonis astrum
 Prodit, evigilansque noctis horas,

5

10

Lu-

Lustrat excubias, sitim famemque
 Sustinens : quoties eat necesse est
 In discrimina fortis, inter hostes,
 Inter ancipitis cruenta Martis
 Arma, qua furor, efferans phalanges,
 Corporum miseras strues acervat ?
 Quem gravat labor, est honoris expers.
 Hinc, reor, studiosus allaboras
 Lycei sapientiam doceri,
 Et flores legere utriusque linguæ ;
 Sic, Donate, tibi parit loquenti
 Scribentique, labore & arte multa
 Sermo cultus & elegans decorem.
 Hæc, seu talia sæpe cogitanti
 Mens hæret mihi ; cogor & stupere,
 Cur omnes cupimus frui perenni
 Inter Cælicolum Choros quiete,
 Quæ laboribus est paranda ; segni
 Vivimus tamen otio sepulti,
 Sive rebus inanibus vacamus.
 Quot sunt, qui satagant inire callem,
 Qui deducere possit ad supremæ
 Sortis lætitiæ ? trahit dolosa
 Nos rerum species ; ferax doloris

15

20

25

30

35

Gau-

Gaudium sequimur: per hæc caduca
 Claram quærimus obtinere famam,
 Quam transmittere posteris putamus. 40
 Proh vecors hominum genus ! quid umbræ
 Sectamur leve somnium fugacis?
 Est quidem, fateor, decus, ^{reses} ~~latantes~~
 Rerum percipere & referre causas :
 Esto res populi recepta plausu 45
 Docte scribere, & eloqui diserte;
 Sit decens amor eruditionis :
 Sed frondes, pietate destitutus,
 Ostentat velut arbor absque pomis.
 In primis igitur colenda Virtus, 50
 Quam Cæli vigor inserit, fovetque
 Menti dia Fides oborta, fructus
 Ut det fertilis & decora: sacræ
 In templo Sapientiæ litare
 Hisce primitiis licet: dicatum 55
 Qui se copulat huic, decus piorum
 In terris geret inclytumque nomen;
 Sedes hinc Superum petet beatus.

VANI-

VANITATIS FUGA

ÆTERNITATIS AMOR.

AMICA veris aura, frigus aëris
 Amabili tepore temperans, humi
 Feracis uberem finum recluserat ;
 Fugarat atra Sol calore nubila ;
 Erant odora nuper arva floribus ;
 Recens virebat herba ; cantus alitum
 Sonorus obstrepebat inter arbores ;
 Fluens nitebat unda pura fluminum ;
 Obambulabat hinc & inde lufitans
 Vagis recurfibus genus natantium. 10
 Sed ecce ! fervidæ furor Caniculæ
 Agros adurit, æftuanſque vitreo
 Aquæ dolet liquore rivus exui ;
 Amat latere piſcis in reſſibus ;
 Silent aves, & aura muta deficit. 15
 Hyems iniqua jam recurrit ; algidæ
 Nives ſuperna montium tegunt juga ;
 Rigata mœret imbre terra ; defluit
 Fremens in æquor amnis unda decolor,

Vi-

Vigorque lætus arborum statim perit. 20
Ut hæc caduca ! luxus Orbis ocyus,
Opum dolosa pompa, forma labilis,
Placensque inanium figura præterit.
Poli superna conspiciemur Atria,
Vel umbra noctis absit, aut recesserit 25
Dies, ut astra luce semper aurea
Jubarque Apollinis nitent ! nec officit
Globis micantibus vel æstus ingruens,
Vel imbribus geluve bruma sæviens.
Quid inter hæc futura non recogitas, 30
Dies videri diligens bonos, mea
Supina mens, tuæ salutis immemor ?
Solet nocere sæpius, quod allicit.
Parens sit Eva testis. Hisce jugiter
Monemur, omne, quod fugax, relinquere ; 35
Quod est perenne, gaudium requirere.

IN

IN
ILLA VERBA S. AUGUSTINI,

Inquietum est cor meum, donec veniat
ad te, Deus.

AURUM & voluptas avida corda non explent,
Non dignitas celebrisque fama, nec Regnum,
Seu quidquid est, quod accidat magis gratum.
Quid inquietus expetis vices rerum,
Sperans quiete perfrui? bonis nullis
Contenta mens angustiam sibi quærit
Adraſte : lævam ſive dexteram fortem
Hic obtinere cui datur, gravi cura
Urgetur æque ; tentat e malis unus
Emergere, alter altiora venatur :
Uterque ſperat, nec quieſcit, incertus
Quid afferat dies ; metuque correptus,
Nunc angitur, nunc ſpem reſumit : at ſæpe
Humana vota ſpes inanis eludit ;
Quod pollicetur blanda, ſive non præſtat,
Seu protinus, quod præſtitit, fugax aufert.
Stulti quietem dum labore ſectamur,
Laborioſa creſcit inquires : demum
Nos opprimit labor quietis expertes :

L

Hæc

Hæc non moratur humi, plagas colit Cæli ;
 Est in Deo quærenda, cujus est donum,
 Quo candidas coronat & beat mentes ;
 Quas, inquires dum spe boni erigit veri,
 Vicibus ademptas Cælitum choris addit.

20

VERA SAPIENTIA MORTIS MEDITATIO.

MUNDI Machina fertur ad supremum
 Occasum, rapido rotata gyro
 Horarum ; gravida dies & anni
 Alvo perniciem gerunt futuram.
 Imminet Senibus propinqua lethi
 Formidabilis hora ; polliceri
 Non potest sibi crastinum Juventus.
 Mors enim pede præpes est ubique,
 Et nunquam satiata pascit omnem
 Ætatem. Pecudes solent in agris
 Sic depascere flosculos & herbas.
 Sic vorat populata flamma messëm.
 Serio vigilare nos oportet.
 Ut desiderium tenax fugacis

5

10

Vitæ

Vitæ fascinat ! ut trahit voluptas !
 Ut cor abripit aura blanda plausus,
 Implicat laqueis opum cupido,
 Fallit Ambitio, tenetque luxus !
 Stulti quid sequimur caduca ? fulgens
 Cæli Regia nos vocat ; sed armis
 Obniti Pietatis est necesse
 Contra nequitiaæ dolos. Profusi
 Victus illecebræ valete : lusus,
 Plausus, pompa faceffat : hinc superbum
 Sensuum vigor impetum remittit,
 Hinc vires animus suas adauget.
 Non fomno dapibusque prægravetur,
 Sumat quod sibi sat licetque, corpus ;
 Sic non lædit ut hostis impetitque,
 Sed pugnat simul adjuvatque mentem,
 Hospites sumus hoc in Orbe, non hic
 Nobis Patria permanens. Inani
 Lactamur specie boni. Peribunt
 Tanquam Somnia cogitationes,
 Quæ nos immemores perennis Ævi
 Luce orbant Rationis. Institutis
 Mens veræ Sapientiaæ dicata
 Lessum cogitet, execrata luxum.

Miles non referet decus triumphī,
Pugnam non meditatus imminentem.

49

PERTURBATUS ANIMI PRAVI MOTUS, PLACIDA RECTI QUIES.

LIBERÈ vagans per agros quo pavore concutit
Urbium cives minaci fronte cladem præferens
Mars, iniqua cum cruentus cæde cædes aggerat!
Urit ædes, culta vastat arva, delet oppida,
Tristibus complet querelis cuncta, luctu, sanguine. ;
Attamen, procaciter cum circuit præcordia
Blandiens, nobis cupidò majus infert prælium.
Qualis oras per patentés cinctus Auster turbine
Fertur atrox, & comantes imbre fruges dejicit,
Vinitoris & labores sternit ictu grandinis ; 10
Moxque frendens acriori vi revellit arbores :
Talis ingruit, tumescit, infremit Superbia.
Vidit ardens culmen Ætnæ sæpius Trinacria
Igneos globos vomentis tesqua flammis urere ;
Et per ima dorfa vallis saltuosa serpere, 15
Perque campos, perque pagos, pertinax incendium :
Igne sævior furenti fervet ira percitus.

Flu-

Fluctuum se falsa magno Regna tollant impetu ;
Carbassis fractis fatiscat quassa puppis horrido
Turgidi maris tumultu ; voce clament flebili, 20
Invocentque supplicantes dia Cæli lumina
Navitæ, mergi paventes æstuanti vortice :
Cordis impii procellis nulla par est inquires.
Sensuum motus rebelles una Virtus comprimit,
Si potenter flans ab alto Sanctus adsit Spiritus. 25
Flamen alnum, te beatam largiente gratiam,
Pura mens dono quietis læta semper exilit ;
Sive pontus intumescat, sive flamma ferveat,
Sive nimbus atque grando, sive bellum sæviat.
Nubis expers hora veris ut serenat æthera ! 30
Mane surgens Sol ab ortu luce fulget aurea ;
Uda roris herba guttis, prata rident floribus ;
Dulce concinunt volucres frondium sub tegmine ;
Absque motu conquiescit unda Ponti cærula.
Summa nautis pacet æquor vitreum pellacia, 35
Ambiat diffusa Cælum quantavis ferenitas,
Una cordis innocentis major est tranquillitas.

FELICITATIS HUMANÆ FUGA CÆLESTIS ADEPTIO.

PRÆTEREUNT anni, celerī pede labitur ætas,
Et vix orta dies non reditura fugit ;
Circumdantque brevem variis discrimina vitam

Casibus ; hora gravi nulla timore vacat.

Arentes veluti Boreas ex arbore frondes, 5

Sic homines lethi vis inopina rapit.

Nos tamen, affixi terræ, traducimus ævum,

Ac si mors unquam non obeunda foret,

Exactæque dies ignava per otia vitæ

Negligat æterna pendere lance Deus. 10

Prodigus hic auri sublimes extruit ædes,

Quæ vasta referunt mole Neronis opus.

Tollitur hinc Aulæ paries, fornixque decenti

Se spatium profert ; porticus inde patet.

Quas animæ afflatu dicas sensuque vigere, 15

Ut mira formas exprimit arte color !

Ærea signa, lapis Parius, pretiosa supellex

Ut capiunt animos, intuitumque tenent !

Ille

Ille colens largo folers viridaria sumptu,
Gaudet agri donis, ingenioque soli. 20
Vitrea devexis passim diffunditur haustris
Lympha, vago serpens culta per arva pede,
Quæ circum irriguis deducta canalibus ambit
Distinctas terræ foetibus areolas.
Hic frutices crescunt, frondens ibi germinat arbos; 25
En! illic flores, veris odora cohors.
Tonfilis herba refert, Eoum inventa, tapetes,
Et myrtus varias ingeniosa feras.
Hic procul a curis pandit se purior æther,
Jucundumque ciet frigus ab arboribus. 30
Per nemoris spirant frondes Zephyritides auræ,
Quas volucres lætis vocibus excipiunt.
Attamen optata frustratus uterque quiete,
Quæ sua sunt spernens, expetit id quod abest.
Est qui, miratus sortem redeuntis ab Indis, 35
Cæruleum pinu per mare currit iter;
Nec pavet infido vitam concredere Ponto,
Ut magnas aliis præstet adeptus opes.
Ast alius sobolis foetu protendere gentem,
Conjugiique bono par putat esse nihil; 40
Virginis eximiæ formam sua gaudia ducit;
Huic thalamo jungi nocte dieque cupit.
Sunt,

Sunt, quibus est blandæ plausus gratissimus Aulæ,

Et pueri cantus, voxque sonora lyræ.

Nil illi potius, diro quam gloria bello

45

Parta ; libens clarum sanguine nomen emit :

Adspiratque manu sceptrum gestare, per enses

Cæde sibi sternens insidiisque viam.

O vanas Hominum curas, & inania vota !

Si quis & assequitur, quidquid anhelus avet ;

50

Stillantes cribro latices de flumine portat,

Plenaque rimarum dolia complet aquis.

Non mihi sint Regum vitæ, nec funera testes :

Est tua, Rex Salomon, pagina nota satis.

Pierius resonet cantus, famulatus abundet

55

Promptus, & Assyrio spiret odore domus.

Quid regale jubar, vel opum quid gloria prodest ?

Quid populi plausus deliciæque juvant ?

Sunt auræ sonitus, vel opus quod aranea texit.

Nectunt, sint quamvis aurea, vincla manus.

60

Quid decor est formæ ? veluti Rosa fera superbit ;

Sole oriente oritur, Sole cadente cadit.

Exeritur viridi septo, decerptaque floret

Vivida ; sed subito languet, & atteritur.

Lubrica fors Regni, spinosis anxia curis,

65

Instabilis fertur vi male nixa rotæ.

Nef-

Nesciat adversos casus, partisq; fruatur

Tuta, tamen trepido corde futura timet.

Ut stipulæ tenuis vanescit ab igne favilla,

Sic micat, & fugiens gloria Regis abit.

70

Cætera deficiunt, ut aquæ tenuissima bulla:

Sola mihi supereſt, qua tumulabor, Humus.

O anime infelix, Terræ quid munera quæris?

Te sibi, te Cælo condidit ipse Deus.

Et potes insanos cordis præferre tumultus

75

Æternæ Paci lætitiæque Poli?

Hic te pugna manet; victori debita solum

Palma; coronatus, qui bene pugnat, ovat.

Nec fuerit Christi miles certamine victor,

Humanis humeros si gravet exuviis;

80

Sobrius, huic aptus pugnae, per commoda transit,

Degit in excubiis, esurit atque fitit.

Legerat ex acie, Domino mandante, trecentos,

Quos videt e digitis lambere fontis aquas,

Dimissis aliis, Gedeon, quos potus hianti

85

Guttare humi pronos flectere crura jubet:

Mox fugat innumeros hostes, multisque peremptis

Exigua Madian castra phalange capit.

Rebus in his fluxis licitus se quatenus usus

Proferat, unda labris parcius hausta docet.

90

M

Hascq;

Hæscæ natans per aquas canit, arridensque Voluptas,
 Ut Siren, variis attrahit illecebris.

Me miserum species umbræ ludentis in amne
 Decipit, & blandis fallit imaginibus:

Allicit incautum mendax dulcedine cantus, 95
 Donec recludat funeris hora dolos.

Heu! quid agam? Densa cingor caligine culpæ;
 Noxius ah! nimium diluit ora liquor.

Abripiunt motus animum: sic membra natantis
 Sæpe trahit vortex, mergit & haurit aquis. 100

Ardua res pravos subito deponere mores,
 (Arbiter est usus) ni Deus adsit ope.

Criminis heu! quanto pressus sub fasce laboro?
 Intentant facies mortis & umbra metum.

Si, venerande senex, Stridon quem protulit Orbi 105
 Virtutum specimen Christiadumque decus,

Tu trepidas, meditans supremi temporis horam,
 Quamquam sis vitæ conscius innocuæ;

Quas animo volvam curas, quem jugiter ætas
 Arguit in scelerum sordibus acta reum? 110

Terrificæ quoties mortis subit ultimus ictus,
 Jure tuis tecum sensibus afficior.

Nempe Tubæ resonans clangor mihi personat. aurem,
 Horrendumque Dei nuntiat Ira diem.

Sive

Sive legam, capiamve cibum, spatiervē per Urbem, 115

Languida seu noctu membra sopore levem;

Acia concipiens ultoris Judicis ora,

Anxia mens horret, cor labat, ossa tremunt.

Parce, precor, Custos hominum, mihi parce precanti,

Ah! tua, Christe, tuum dextera perdet opus? 120

Te mihi redde prius, quam tristes cedat ad umbras

Spiritus; ah! tutum lux tua pandat iter.

Hei! mihi parce, tuum clemens compeſce furorem.

Quid miser heu! capiam te sine consilii?

Nam sine te mentes humanas nulla salutis, 125

Veri nulla boni cura subire potest.

Temporis amissi cruciant dispendia mentem;

Ah! gemat os, plorent lumina, cor doleat.

Hæc via sola patet: dolor est sociandus amor.

Ah! tua me species, te mihi jungat amor. 130

Me tibi jungat amor; Patris qui summa potestas,

Terrenumque regis fidereumque globum.

Tu, radiis fulgens, perfecti forma decoris,

Inferis omne jubar rebus & omne decus.

Attamen angusta voluisti clausus in alvo 135

Virginis, humanas natus obire vices,

Et Crucis in ligno configi, ut morte redemptos

Mortales Erebi faucibus eriperes.

Proh me vecordem ! tanto male gratus amori,

Innitar' fluxis, & fugitiva sequar ?

140

Ah ! pereat quidquid gemmarum, quidquid & auri

Dives Arabs, Gangis potor, & Indus habet.

Militiæque gradus, Regumque optata faceſſat

Purpura, ſeu quidquid ſuggerit Ambitio.

Proh ! pereat luxus, pereat maleſuada voluptas : 145

Te ſine, Chriſte, gravi dulcia felle madent ;

Te ſine jucundum nihil eſt, nec amabile quidquam :

Ipi in luce ſua luce carent oculi.

Jucundus labor eſt tecum, fit dulcis amaror.

Tu mihi pax cordi, tu mihi, Chriſte, quies.

150

Fac, precor, ut recolens noctesque diesque requirat

Te mea mens unum, cogitet, optet, amet.

AD

ALEXANDRUM FRATREM.

Qua ratione pravus animi affectus
fugiendus, & curandus.

EST operæ pretium vexari febre timenti,
Corporis aut quavis noxa, prævertere cauſas,
Lædere quæ poſſunt ; multo nam læſa labore
Corpora cum languent, reparentur oportet : in ægris
Curan-

Curandis animis ratio par esse videtur,
Si quis, Alexander, trutinet rem lancibus æquis.
Ars Medici, quamvis Coo sit doctior ipso,
Pharmaca quæ mittunt Indi, seu præparat ignis
Eliciens tenues vario de gramine partes,
Seu quidquid produnt effossæ viscera terræ, 10
Et species morbi, lecto qui detinet ægrum,
Curatu facilis, quidquam non proficiunt, ut
Incolumis rursus fiat, viresque resumat,
Si Medicos renuat succos, vitetque medentem.
Impliciti vitiis animi graviore laborant, 15
Quam corpus, morbi specie. Plerosque latet se
Ægrotare, suis affectibus indulgentes;
Hinc in deterius noxæ vis effera gliscit.
Sunt alii, qui percipiunt quo pondere pressi
Succumbant, cupiuntque mali reperire medelam; 20
Non tamen, ut valeant, remouent quæ lædere cernunt:
Scilicet his vitæ nimium spes credula celat
Exitium, furtim properans. Tu providus annos
Elapsos meditare, fugax & ut avolat ætas.
Si culpæ stimulos sentit mens excita, noscet 25
Quam grave discrimen subeat, qui vivere pergit
Exuta ratione, futuri non memor ævi.
Quæ nocuere sequi caveas, constansque repelle:

Hoc

Hoc age persistens; usus contrarius usum
 Delet, & infirmis proudest, additque vigorem. 30
 Nec præsens te decipiat nocitura voluptas,
 Quæ vix orta cadit, vulnus lethale relinquens.
 Protinus illecebræ turgentia femina tollas :
 Sensibus irrepit paulatim, quod placet, & se
 Insinuat, mox assiduo subit altius usu, 35
 Infertumque animo, tanquam foret ingentum, hæret ;
 Et late serpens cariosum erumpet in ulcus,
 Ni Ratio primos excluderet obvia motus.
 Hanc igitur sectans, pronis præcepta salutis
 Auribus admittas : in primis Numinis alium 40
 Præsidium implores, fugiens quæ noxia coeptum
 Propositum turbant ; facili te calle pericli
 Diriget expertem promissa ad gaudia cæli.
 Impulit hoc teneros pueros castasque puellas
 Fundere pro Christi cultu cum sanguine vitam. 45
 Non illos acies districti terruit ensis,
 Non aliorum glacialis aquæ, non ungula & uncus,
 Non virgæ, sævæque rotæ, non ora leonum,
 Non crates, non flamma vorax ; nec prava iubentes
 Deliciis, opibus, vel amictu murice tincto 50
 Consilium rectæ potuere invertere mentis.
 Sæpius hæc tecum tacito sub pectore volve,

Qui-

Quique manet fontes rigidum cruciatus ad Orcum,
Moerentes inter tenebras, & mortis in umbra ;
Quam sit atrox illic stridor, quam sit ferus horror. 55
Quem non hæc gelido quatiant audita pavore ?
Quis scit, an exorto surgentes mane videre
Lucem possimus, mare cum subit occiduus Sol ?
Ultima mortales citius seu ferius hora
Opprimit, interitum aut vitam latura perennem ; 60
Quos tamen interea fallacia vota fatigant ;
Falsis quippe bonis, vel inani ludificant spe.
Fac recolas quantum distant æterna caducis :
Incipient luxus, odium, curæque salubres
Pellere desidiem, nocuosque cupidinis ignes ; 65
Accedet Virtutis amor, quem robore firmat
Cælestis favor adfistens ex corde precanti.
O utinam coeptis adsit ! mortalia quæque
Desipiunt animis, sancto quos lumine complet
Gratia ; perque gradus rerum mens, nescia culpæ, 70
Corporis obstantes optans abrumpere nexus,
Transilit æthereos tractus, Cælique meatus,
Ac penetrans ultra Superum se coetibus infert,
Adspiratque, Dei faciem visura, beari.

LAURENTIUM
MAGALOTTUM
UTRIUSQUE SIGNATURÆ
REFERENDARIUM

Rusticatum invitat.

ARVA madent pluviis, & amabilis aura calores
Jam fregit, celerique fuga se proripit æstas;
Rura vocant, lætisque patens in collibus aër.

Hic recreor, spatiorque libens, ubi libera longos
Lumina metiri gaudent obtutibus agros.

Hic reficit corpus vires, seniumque moratur;

Hic bona sollicitam tranquillat otia mentem.

Si, Magalotte, placet tristes deponere curas;

Qua Lacus Albanus vitreis diffunditur undis,

Gandulphi Pagus, veteris pars altior Albæ,

Excipiet lare nos modico, qui sufficit usus,

Quos parvo contenta petit Natura. Superbæ

Non ædes, animi requies facit una beatos.

Hanc, tibi quæ cordi, solum parat ardua Virtus.

Huc igitur secede; bonis, quæ detulit anni

Hora,

Hora, parensque sua tellus dat sponte, frueris :
 Nec vitulus lactens & odoro gramine vervex
 Pastus abest ; dant ova cibum piscesque recentes.
 Aucupium juvat ? Hic stipulis ager abdit Alaudas ;
 Hic nutu signata canis capienda Coturnix 26
 Obtentu retis ; lini seu fallere nexu,
 Seu visco Turdos libeat, venantis in usum
 Est nemus aptatum ; Perdix & Phasidis ales
 Non defunt ; capies Lepores Capreasque fugaces,
 Qua prope frugiferis tellus fert pabula campis. 27
 Cætera formosus quæ præstat commoda collis,
 Accipe. Fons gelidum deductus munere Pauli
 Fundit aquæ rivum, cordique salubrior æther
 Influit ; huc siquidem spirans non amplius Auster
 Advehit humentes vicina e valle vapores : 30
 Uberibus segetem glebis, herbasque virentes
 Nutrit humus, nupèr cœno lymphæque palustri
 Obruta. Cum terras oriens lux aurea Solis
 Exhilarat, summo ducet te semita clivo,
 Unde lacum spectare licet, quem scena coronat 31
 Frondea : nam gemini coeuntes more Theatri
 Undique protenso tollunt se margine ripæ ;
 Quas illinc, avium sedes, & quercus & ilex,
 Populus hinc ambit, sociataque vitibus ornus,

N

Non

Non procul obliquo curvat latus orbita flexu, 40
Assurgensque novæ templum superimminet Albæ,
Francisci cui sacra Cohors famulatur : ad Aram.
Hic tibi fas Superos in vota vocare, Sacerdos
Dum sancte peragit passi mysteria Christi.
Mox gradiens vario qua tramite dividit hortus 45
Areolas, mistoque olerum florumque colore
Pingit humus, nemoris gratas ascende per umbras,
Est ubi montis apex ; capiet te mira voluptas ;
Si circumspicias, aspectu videris uno
Oppida, camporum tractus, silvasque comantes, 50
Pascula, clementes colles, vineta, lacumque,
Et maria, & montes, augustaque moenia Romæ.
Nunc age, solertes protende per omnia visus.
En ! prope subjectis vites in collibus uvam
Objiciunt oculis, ostro quæ certat & auro, 55
Et latices fundit, referunt qui vina Falerni.
Ostentat Pomona suos ex arbore foetus ;
Quæque fluant multo, promit sua præla Lyæus,
Aspice planitiem, gregibus quæ gramina passim
Exhibet, & late campos quos præbet arandos, 60
Ut larga Tyberis ditescant horrea messe,
Quæ Populum referata beant sub Principe Paulo.
Hinc etiam diffusa procul maris æquora cernas,
Quæ-

Quæque ferunt celeres alبتها carbasa puppes ;
 Cum vitreum radiis dorsum Sol desuper ambit, 65
 Mobile Lucis iter format, miroque nitore
 Non impar, quem, fideribus compacta minutis,
 Aeris in fudo noctu Via Lactea pandit.
 Longius exurgunt altæ fastigia rupis,
 Quam Circe tenuit : pelagi se prodit ab undis 70
 Pontia, nunc dumis horrens & inhospita; quondam
 Christiadum exiliis celebris, cum dira premebat
 Sævities Christi cultum. Vicinus in auras
 Prominet Albanus vertex, ubi cæca Quiritum
 Est ætas operata Jovis Latialis ad aram. 75
 Ardua Soraetis cervix ut in aera fertur !
 Apparent Cimini montes, collesque Sabini,
 Et juga Samnitum fummas æquantia nubes.
 Quam juvat intuitu magnas discernere moles
 Urbis? ab Exquiliis celsa testudine culmen 80
 Porrigit eximii species miranda Sacelli,
 Quod tibi, Christiparens, almi lux prima Pudoris,
 Addictum posuit studium, pietasque dicavit,
 Qua coluit, puroque colit te pectore Paulus :
 Cujus opus pulchro surgens in colle Quirini 85
 Se Domus extollit, regali condita sumptu.
 Excelsi tholus en ! Templi se proximus infert

Sideribus, pia quod vasto molimine cura
 Pontificum struxit Petro. Te, Paule, loquetur
 Posteritas, laudemque tuis hanc laudibus addet; 90
 Nam tibi debetur tantæ pars maxima molis,
 Sed tua dum vario, Laurenti, lumina pascis
 Prospectu, rapidos Cæli per inane Jugales
 Phoebus agens, minuit jucundas altior umbras.
 Quæ tamen hac Albam prono petit obvia ductu, 95
 Hinc iter inflectens, reduces in limine sistet
 Nos via, nec venti flabris, nec pervia Soli;
 Arboreis etenim ramis utrinque virefcens,
 Explicat umbriferum gratissima tegmen eunti.
 Post epulas dulci dederis cum membra quieti, 100
 Et medium Phoebus Cælum transmiserit axe,
 Non procul in silvam sonipes te deferet; illam
 Huc illuc gressu placido peragraffe juvabit:
 Hic tibi Castaneæ frondentia brachia pandunt
 Quercubus admistæ, fessoque umbracula texunt. 105
 Sive per annosq; rheda vectabere saltus,
 Qua late montana patent æquata viarum
 Strata rotæ, Nemus hac petitur, speculumque Dianæ:
 Hoc lacui nomen fecit, quæ pura liquentis
 Lympha vitri speciem referens sinuatur in orbem. 110
 Abditus hic inter silvas est creditus ævum

Hip-

Hippolytus duxisse, novo de nomine dictus
 Virbius, auxilio Triviæ revocatus ad auras
 Æthereas: arcebat equos hinc vana vetustas,
 Quod pavidis abreptus equis per devia letho 115
 Sit datus Hippolytus. Valeant infomnia Pindi.
 Ut veterum quæ vera Virum jucunda recurfant
 Mentibus, apta facem rebus præferre gerendis!
 Hinc oriens primum Romana potentia fluxit,
 Post varios casus dubiique pericula Martis: 120
 His pater Æneas profugus confedit in oris,
 Quem tandem rapiens absorbuit unda Numici.
 Filius Ascanius constructis moenibus Albæ
 Dat Regum seriem, quorum de sanguine felix
 Romulus auspiciis æternam condidit Urbem. 125
 Linquimus Ægeriæ lucum, quo provida virtus
 Aucta Numæ Populumque rudem belloque ferocem
 Formavit studio pacis. Non funere fratrum
 Territus, hic ternos prostravit Horatius hostes.
 Immodicis Albanus aquas lacus auctibus olim 130
 Extulerat, nullis manantibus æthere nimbis:
 Si ripis emissa, maris non influet æquor
 Unda lacus, Delphis, inquit, consultus Apollo,
 Romani capient obsessos milite Veios:
 Permeat hinc subiens cæsi per viscera montis 135

Jugis



Jugis aquæ rivus. Species ambæsa Theatri
 Stirpibus innatis squalet: quater hostibus Alba
 Ludibrium jacuit: densis en! obstita dumis
 Regia, quam posuit Romani Flavius hæres
 Tertius imperii; fastu qui turgidus egit 146
 Hic annos epulas inter mimosque loquaces,
 Deliciis fractus. Jactet nunc stemmata gentis.
 Ignotos extrema dies insignibus æquat.
 Ingentem subitus silvam cum corripit ignis,
 Confundunt cineres quercus humilesque myricæ. 147
 Mitte supervacuum cultum, curisque solutus,
 Eripe te rerum strepitu. Sibi vivere dulce est.
 Vive Deo, tibi sic vives. Te sola sequentur
 Post cinerem bene facta; rapit reliqua omnia lethum.

A L E X A N D E R

E C L O G A.

QUÆ solita es pecudes inter frondentis in umbra
 Illicis ægrestes calamos inflare, Thalia,
 Linque casus nemorum, cultuq; ornata decenti,
 Marmoreas Regum turres pete: digna sonora
 Voce tubæ Heroum molimur maxima facta. 5
 Non facit atrocem ad Martem rude carmen Avenæ.

Ec-

Ecquis Alexandri possit tam grande sonanti
 Carmine complecti laudes, ut facta canendo
 Æquarit? Nec enim tantum Ducis inclyta virtus
 Cæsaris ingentes animos imitatur, & ausus 10
 Scipiadam, Fabiive moras; quot protulit umquam
 Roma Ducum claras virtutes, excitat uno
 In Duce Alexandro Mavors: Thrax efferus ensis
 Fulmineos ictus sensit; cum cæcula passim
 Æquora Turcarum fuso rubuere cruore, 15
 Qua mare Naupacti fluctu cava littora plangit.
 Hic iterum fractæ vires Orientis ab armis
 Hesperia, hic sacram captæ videre triremes
 Per sua transtra Crucem victricia pandere signa.
 Acer in adversos illum rapit impetus hostes: 20
 Nulla Viro virtus obstat, vis nulla resistit
 Herois gladio: nigras mors explicat alas
 Lunigeras puppes super, ac truncata cadentum
 Membra cruentati fluitant per marmora ponti.
 Hellepontica Byzanti in sede Tyrannum 25
 Fama volans tantæ turbatum nuntia cladis
 Perculit: huc illuc trepide per compita fertur
 Corruptum pavidis vulgus præcordia curis.
 Quisque, fugam meditans, incertis anxius hæret
 Consiliis. Facile poterat perterritus hostis 30
 Ad

Ad priscas Tanais cogi remeare latebras ;
 Ni fera Christicolis vario discordia motu
 Distractis meritæ rapuisset præmia palmæ.
 Sic placitum Superis nostræ ob contagia culpæ,
 Gaudentis patrio perfundere sanguine campos. 37
 Nec tua, Alexander, tantum decora inclyta novit
 Qui colit Eoas oras, & clara trophæa
 Miratur, captasve dolet prædasque virosque,
 Armatamque timet funesta in prælia dextram :
 Novere Aufonii, Batavi sensere subacti, 40
 Hi magnos ausus animi, metuendaque fortis
 Damna manus ; illi meritos ex hoste triumphos,
 Et summos immortalis Virtutis honores.
 Hique tuam noscent ventura in sæcula famam,
 Quos & uterque Polus, quos Taurus claudit, & Atlas ; 45
 Quique sua invertunt nostris vestigia plantis.
 Nulla tuas poterit laudes abolere vetustas,
 Dum Scaldis tumidum rapidis irrumpet in æquor
 Fluctibus, & stabit celsis Antverpia muris :
 Bellica dum Belgæ soboles, nomenque manebit. 50
 Nam quid ego hostiles summa virtute fugatas
 Commemorem turmas, debellatasque phalanges ?
 Quid fluvii clausum per aquas iter obice pontis,
 Quem Ratis incassum tentavit perdere, nitri

Fœta

Foeta dolis, jussasque ferens in tempore flammæ? 55
 Seu quid consilio, pernicipique oppida capta
 Adventu? vel aquis cinctas & moenibus arces
 Assiduis victas studiis, urbesque subactas?
 Nec tibi res fuerat tantum contra horrida Belgæ
 Arma, nec adversus munitas aggere fossas; 60
 Sæpe Britannorum sæva undique circumventum
 Gallorumque acie Regio te Belgica vidit,
 Ac tria devicto referentem ex hoste trophæa.
 Non tibi, tormentis sævos imitantibus ictus
 Fulminis, aut lymphis circum stagnantibus altæ 65
 Urbis agrum, est aditus clausus; non fluminis undis,
 Qua celeres furtim lintres alimenta ferebant
 Hostibus obsessis: victor tanta Urbe potiris.
 Qualis in Alpino nodosa cacumine quercus,
 Sæpius incurfus Boreæ frustrata frementis, 70
 Et quamquam insolito miscetur turbine Cælum,
 Stat tamen immota, & venti vix frondis honorem
 Decutiunt: tenues fulmen si forte per auras
 Jupiter in quercum contorserit, illa repente
 Concidit, & campis infert segetique ruinam: 75
 Palantes fugiunt pecudes, pecudumque magistri,
 Ac sibi tota timet subsultans murmure silva.
 Talis, ut Herois generosæ robora dextræ

Senfit, Iberorum consueta evadere nifus,
 Cedit, & admittit victorem Antverpia portis. 80
 Jam pavor excurrit mortis, jam terror oberrat
 Exitii. Quid agat? tantis circumdatus armis,
 Quid tentet? Veniam supplex sibi Belga precatur.
 Et licet incensum valido cor ferveat æstu,
 Tu tamen antiquæ, Farnesi, gloria Gentis, 85
 Supplicibus veniam defers, & bile tumentis
 Ultiores animi sedas in pectore motus.
 Hoc Virtutis opus. Nunc ô quantum libet illa,
 Nunc tui Alexandri facta inclyta, Græcia, jacta.
 Est & Alexander Romæ æque fortis in armis: 90
 Major in hoc; nec enim tantum devicerit hostes,
 Hostibus at victis sese quoque vincit & iram.

I U L U S

ECLOGA.

INFELIX Galatea vagas Minionis ad undas,
 Seu solis fugeret radios, seu ferret opacas
 Nox tenebras, raptum crudeli funere Fratrem
 Flebat, & aureolum vellens de fronte capillum,
 Nequidquam hos gelidis silvis & flantibus auris 5
 Jacta-

Jactabat questus, animamque vocabat amatam.
 Cur, dolor, heu ! prohibes in fletum ducere voces ?
 Sive quid invitis lacrymarum suppressis imbrem
 Luminibus ? mea cur tantum singultibus ora
 Mœsta sonant ? justis nec dum laxata querelis 10
 Est via ? Tene mihi, Frater, tam dirus ademit
 Casus, & ante diem sæva tibi lumina morte
 Condidit ? Heu ! te tam crudelia fata manebant,
 Ut tibi fulmineis foret ictibus occumbendum ?
 Horrendo intonuit nimborum murmure Cælum, 15
 Ac simul abruptis elusus nubibus ignis
 Excidit ; heu ! subito correptus fulminis ictu,
 Volveris exanimis, lucemque relinquis, Iule.
 Ipsaque, tam duro casu concussa, repente
 Frigore corripior pectus, gressusque labantes 20
 Heu ! me destituunt ; certa vix fede manet mens.
 Accurro tamen infelix, collapsaque membra
 Excipio, simul & pallentibus oscula labris
 Admoveo, frustra que tuo te nomine, Frater,
 Compello, extremumque animæ fugientis in auras 25
 Halitum ab ore lego, & morientia lumina condo ;
 Et feretro gelidos compono flebilis artus,
 Teque rigo lacrymis. Tandem produceris, & jam
 Funereis de more viæ longo ordine lucent

Ignibus, implenturque leves lugubribus auræ 30
Vocibus; atratis cognati in vestibus adsunt.
Te sequor hos inter, comitataque ad usque sepulchrum,
Inferiis mœrens adfſto. Pia turba precantum
Circumſtat feretrum, juſtis & rite peractis
Non illaudatum tumulo te condit, Iule. 35
Ah ! quid, cum febris jaſtatus ab igne jacebas,
Effudi Superis ſupplex pia vota ? quid ora
Reſperſi lacrymis, cumulans altaria donis ?
Scilicet ut ſævi rapereris fulminis igne ;
Nec miſera heu ! miſerum extremo ſub tempore Fratrem
Affari poſſem, & voces audire ſupremas ?
Ah dolor ! ah lacrymæ ! tantas an concipit iras
Nubiferum Cælum ? Quid ſi non liber ab omni
Crimine vixiſſes ? Nulli mors invida parcit.
Invida mors, Fratris cano num vertice crinis 45
Albebat ; diræve dapes aut vina veneno
Dextera miſcuerat, furtim molita piorum
Funera ? An in quemquam violentum ſtrinxerat enſem ?
Anne fidem Superum ſancto violarat abuſus
Numine ? Num, Templis atros immiſerat ignes ? 50
Heu ! benefacta nihil, florens nil profuit ætas,
Heu ! nihil incorrupta fides, menſque integra juvit.
Ah ! Frater media miſer intercepte juvena,

Quo

Quo mœrore, quibus curis me conficis ægram?
Quos acuunt tua fata mihi sub corde dolores? 55
Nam postquam horrifoni cecidisti fulminis ictu,
Quamquam sex denos rutilus Sol extulit ortus,
Bisque Soror junctis complevit cornibus orbem;
Non tamen ulla meam possunt solatia mentem
Mulcere, aut cordi infixum sedare dolorem. 60
Invisæ mihi sunt Comites; dant omnia flendi
Materiem, lucemque simul noctemque perosa,
Te cupido exquirunt, Frater, mea lumina visu.
Nullam fert requiem tacita sub nocte cubile;
Quin nostris tantum resonat plangoribus æther. 65
Et mihi vix primi claudit sub luminis ortum
Sera quies oculos; buxoque simillima campos
Et montes peragro, tellus ubi lampade fulget
Phoebea, nostrisque sonant nemora alta querelis.
Et cum deficiens mediis vox faucibus hæret, 70
Ilia singultus quatiunt, tepidæque per ora
Volvuntur lacrymæ; & gelidæ jam lumina mortis
Ferreus urgeret somnus, ni Delia nuper
(Delia, quæ sacro vitam castissima Templo
Tranfigit, & veras illi transmittere fertur 75
Præscia mens Umbras, seriemque aperire futuri)
Lenibus alloquiis curas poenamque levasset.

Illa

Illa quidem dixit, Frater dulcissime, jussu
Ætherei Patris, summo qui regnat Olympo,
Te loca adisse, quibus priscæ vestigia culpæ 80
Omnia delentur ; nosterque hinc spiritus astra
Ascendit levior, Cælique in parte locatur ;
Teque brevi æthereas subituro tempore sedes :
Sed tantos animi ut melius componere motus,
Ac solidum possim poenis adhibere levamen, 85
Spiritus ô Fratris, tenues labare per auras ;
Huc adsis, levis Umbra, tuam miserate sororem,
Si de te verum prædixit Delia, pande ;
Ne mea perpetuo titubet mens nescia. Sed jam
Huc ades, ô cari dulcissima Fratris imago ; 90
Huc ades, aspectuque tuo solare dolentem.
Talia dum jactat, Cælo processerat alto
Humida nox, lateque solum pontumque tenebat.
Et licet hic dederit finem defessa querelis ;
Non tamen abcessit luctus ; quin tristitia fletu 95
Lumina rorabant, singultusque ora ciebant.
Jam vero Hesperias Phoebe properarat ad oras,
Quadrijugis invecta rotis, pronoque sub undas
Oceani Cælo vaga fidera volvebantur,
Cum tandem madidos irrepsit somnus ocellos. 100

A D

AD URBEM ROMAM
IN OBITUM
ALEXANDRI FARNESII
S. R. E. CARD.

QUID fles purpurei decus Senatus,
 Roma, Farnesium tuum peremptum?
 Fletum comprime ; vivit ille vita
 Æternum meliore nactus ævum.
 Nam vivens aluit, Parentis instar, 5
 Quantum floruit eruditionis ;
 Puberes miseros, Senes, & Ægros,
 Pauperum genus omne, Virginesque
 Sacras munifica manu levavit. 10
 Et novas fabricavit, ac vetustas
 Auxit divitiis, & ampliores
 Ædes reddidit. An carere tantis
 Commodis cruciaris angerisque?
 Atqui Farnesius per hæc quietem
 Perennem peperit sibi ; neque ævo 15
 Possæt perpetuo frui beatus,
 Nî tu præsidio illius careres.
Et

Et quo tu quereris magis dolesque,

Erga te merita illius fateris

Esse eo magis ampla ; sic & hisce

20

Illi gaudia parta pleniora.

Quare, ni male grata tete in illo

Amas, sed redamas tuum Patronum,

Fletus comprime. Nam tuo levamen

Dolori dolor ipse fert ; tibi que,

25

Quo doles magis, est minus dolendum.

AD GRATULATIONEM ANTONII GIGANTIS RESPONSIO

NOMINE DIONYSII RATTÆ in numerum Ro-
manæ Rotæ Auditorum nuper adscripti.

QUOD Patrum Pater omnium supremus,
Clemens Maximus Optimusque Princeps,
In me munificus satis superque

Dignitatis in hoc gradu locatum,

Pondus tam grave me subire iussit ;

,

Gigas, tu mihi gratularis ? esse

Jucundam mihi gratulationem

Tam

Tam caro a capite haud negare possum ;
 Quin ago tibi gratias perennes.
 Verum est ex animo mihi dolendum, 10
 Virium bene conscio mearum ;
 Ni præsens Deus adsit, ipse mentem
 Meam lumine lustret ; inque Justi
 Et Æqui dubia via labantem
 Me regat. Meus huc laborque & omne 15
 Confertur studium. Inter hosce clausa
 Limites mea cura non vagatur
 Ultra ; dum Rotæ in Orbe constitutus,
 Ævi quod superest, agam : mihique
 Hoc ab Orbe refertur Orbis ille 20
 Cæli ; ut hisce laboribus libenter
 In motu, veluti Polus, quiescam.

A D

VIRGINIUM CÆSARINUM CÆSARINI DUCIS FRATREM.

Rusticari, curas ac studium intermittere, ve-
rum valetudinis præsidium.

VIRGINI, decus eruditiorum,
 Amor Castalidum, jubar Quiritum,
 Quos veræ bona gloriæ cupido

P

Pen-

Pennis evehit aureis ad astra,
 Quid rerum geris? ut vales? ut oris
 Antii recrearis? an tepore
 Istic aeris, ut ferunt, iniquum
 Bruma frigoris impetum remittit?
 Floridi tibi veris adflet aura,
 Quæ cælum sine nubibus recludat,
 Ut dulces nemorum queas per umbras
 Securus pede libero vagari,
 Dum cantu querulo strepunt volucres.
 Seu malis placidum maris per æquor
 Huc illuc agili vehi phaselo,
 Quem littus prope remus hinc & inde
 Impellat facili levique motu.
 Squamosum licet hic genus tueri
 Lusus neçtere lusibus; vel hamo
 Piscem ducere. Quam juvat liquentis
 Regni cæruleos obire tractus
 Vago lumine, nigra dum per undas
 Alis carbasseis volat carina!
 Nec gratum minus exhibet Theatrum
 Tellus gramine læta, quam petulci
 Huc hoedi pecudumque grex, & illuc
 Immixti peragrant equis juvenci.

Inter

Inter herbida prata se virentes
Diffundunt fegetes satis in agris.
Addunt se super, eminentque dorso 30
Colles vitiferi; nivesque in altis
Procul montibus albicare cernis.
An non hæc facies foli decora,
Prospectusque maris patens, & aer
Spiritus reficit, fugatque tristem 35
Languorem, capitisque fluxionem,
Qua fauces nimium soles peruri?
Mitte cum Medicis graves medelas;
Curas excute noxias, cupitæ
Valetudinis intimum venenum, 40
Et caros jubeas abire libros;
Sat te Ciampolus allocutione,
Librorum vice, detinet. Valentem,
Hæc si feceris, ut reor, revifam
Te brevi. Deus annuat benignus; 45
Sic vovet tua Roma, sic Amici.

NON CELEBRANDA SOLUM, SED COLEND A, VIRTUS.

VIRTUTEM meritis ad astra tollis
Laudibus, citharæ modos canoros
Aptans, quos pudor integrique mores

Promunt e probitatis institutis.

Res est digna quidem æmulatione,

Approbandaque plausibus bonorum ;

Non tamen satis ad perennis ævi

Optatam requiem tibi parandam,

Ni simul duce gratia superni

Numinis benefacta consequantur,

Quæ pandant superam fores ad aulam.

Has petentibus hinc & inde passim

Obsident iter hostium phalanges ;

Nempe deliciæ, cupidinesque,

Et quidquid movet, attrahensque sensus

A sacra Pietatis arcet Æde.

Non alunt Crocodilon arva Nili

Magis, quam sit amor fui, nocentem.

Tu, recti studio, metuque culpæ,

Virtutum cuneum ciens opemque,

Pugna,

Pugna, ceu jaculis & ense miles,
 Qui fortis fugat obvias Cohortes;
 Sic viam referans, ab hoste palmam
 Non solo sonitu refert tubarum.

DE OBITU
 CARD. PALEOTTI,
 AD
 ANTONIUM GIGANTEM
 EJUS FAMILIAREM.

DUM, mi docte Gigas, te prope mœnia
 Urbis Felsineæ ruris in angulo
 A curis vacuum detinet otio
 Musarum vitreis Rhenus aquis fluens;
 Eheu! Roma gemens quam fera funera
 Cogit me miserum cernere? quam gravis
 Nunc me poena premit? qui dolor occupat?
 Antiquæ Gabriel gloria Felsinæ,
 Et Patrum Column, quos sacra Purpura
 Exornat, cecidit flebilis omnibus.
 Quanto Christiadam publica res caret,
 Et quo præsidio? Quem Senis optimi

Mores

Mores ingenui, puraque Sanctitas,
 Quem sincera Fides pectoris integri,
 Virtutisque tenax rebus in arduis 15
 Mentis consilium, & copia divitis
 Linguæ, quem celebres ingenii latent
 Foetus? hunc querulæ munere nœniæ
 Non fraudare queas; quin tibi plurimum
 Dilecti meritas dicere Præfulis 20
 Laudes cogit amor. Post cineres quoque,
 Non fallor, Dominum tu colis. Aggredi
 Hoc quis possit opus? quem deceat magis
 Quam te, cui Gabriel deditus unice;
 Qui vi Pierii carminis & lyræ 25
 In lucem revocas fluctibus obrutos
 Lethæis? Rutili nobilis Incola
 Cæli nunc Gabriel præmia percipit
 Vera; & quod posita est meta laboribus,
 Lætatur; fera non amplius impetet 30
 Illum, quæ miseris discruciet modis,
 Febris, non lateris corripiet dolor;
 Non fratrum interitum cernet; & integram
 Carpet lætitiâ, quam neque toxica,
 Nec strictus gladius, nec metus horridi 35
 Belli turbet, & hic quæ mala plurima,

Casuf-

Casusque ancipites omnibus imminet,
 Quos vulgus fatuum non bene iudicat
 Felices. Etenim vita Potentium
 Est regale epulum ; sed puer a scyphis
 Circumfert pateram sollicitudinum ;
 Felix, cui cyathos parcius ingerit.

40

RURIS LAUDES.

AB Urbe rura nos vocant ad otium
 Bonæ quietis innocensque gaudium.
 Quid hic moramur ? Ecce ! ver vices refert :
 Ad hæc transvolant plagas Hirundines,
 Strepuntque voce garrula, haud gemunt Itym. ;
 Liquatur alba nix, geluque solvitur ;
 Hyems recedit acris, atra nubila
 Fugat Favonius, renidet Ætheris
 Serenus ambitus, fretumque detumet,
 Ratique cærulæ recludit orbitas ;
 Opes & uda terra veris exerit.

10

Ab Urbe rura nos vocant ad otium

Bonæ quietis innocensque gaudium.

Novo virent amicta prata gramine,
 Novis & arva sunt decora floribus,

15

Bo-

Botrosque pampinosque vitis induit,
 Fluensque pura fontis unda murmurat,
 Et inter arborum tenella germina
 Aves canunt, & aura lenis adsonat,
 Eburna ceu chelys, chorusque musicus. 20

Ab Urbe rura nos vocant ad otium

Bonæ quietis innocensque gaudium.

Ut inter hæc patentis haustus aeris

Ad ima pectoris salubris influit!

Ut est videre dulce five collium 25

Aprica, five montium crepidines,

Humum vel herbidam, satamve, cum seges,

Velut maris tumentis unda, fluctuat!

Amœna quam juvat per arva progredi,

Vel effedi rotis, equove devehi 30

Agri per æquor! ut vigor resumitur,

Laborque firmat ægra membra viribus!

Ab Urbe rura nos vocant ad otium

Bonæ quietis innocensque gaudium.

Suis ibi pudica Musa lusibus 35

Libens potest vacare, non licentiæ;

Ut arduis in Urbe mens fit aptior.

Gravis faceffit inde cura, concidit

Molesta turba litium. Negotiis

Da-

Datum satis: quid hic moramur? *Anxii*

Recessus est medela cordis optima.

Ab Urbe rura nos vocant ad otium

Bonæ quietis innocensque gaudium.

A D

BERNARDINUM CAPPONIUM.

EN! Pater Autumnus, redimitus pulchra racemis
Tempora, pandit humi luxuriantis opes.
Imbre madent virides agri, fit mitior æstus,

Dum cursu claudit Sol brevior diem :

Ortaque nocturni roris de flatibus aura

Innocuum blando frigore suadet iter.

Tunc igitur celebres, Capponi, linquere colles

Urbis, & es patrium certus adire larem?

O, nisi me patruis retinerent debita jussis

Obsequia in Tiberis quod secat unda solo ;

Non, cari desiderio detentus Amici,

Cogerer ingratos ducere in urbe dies.

Non equidem pluviis torrens hyemalibus auctus,

Non oculis raperet te via longa meis ;

Q

Seu

Seu Tellus concreta gelu nivibusque rigeret, 15
Seu flaret Boreas, imbricatorve Notus ;
Seu squaleret humus camporum arentibus herbis,
Cultaque flammivomus finderet arva Canis.
Non a te pelagi possent me avertere fluctus,
Nec maris incuterent mî fera monstra metum ; 20
Efferâ non Scyllæ rabies, non sæva Charybdis
Ira; labor Nautæ, perniciësque Ratis ;
Horrida me nunquam terrere Ceraunia possent,
Ut tibi non effem fidus ubique comes.
Ora tamen distans, non me mora longa, nec ætas 25
Arguet ulla tui nominis immemorem.
Quem valide stringit præstanti pollice Virtus,
Nescius est solvi nexus Amicitiaë.
Sic placitum Superis: posthac me Roma tenebit ;
Tu sine me repetes, quos rigat Arnus, agros ; 30
Inclÿta qua celebrem laudum Florentia famam
Explicat, eximiis Patria clara Viris.
Te germana Soror, Genitrixque Paterque morantur,
Spem reliquam sobolis, præsidiumque domus.
Te tua rura vocant, Minio qua limpidus amnis 35
Profluit, & fracta spumeus albet aqua.
Huc procul a curis, animum quibus implicat Aula,
Te vocat afflictæ cordis amica quies.

Ut

Ut rerum mutat faciem tibi Frater ademptus!

Quas tibi fert vitæ propositique vices? 40

Heu! quo te procul hinc sensu discedere cernam,

Cujus in adversis est mihi nota fides?

Heu! cum quo posthac animi mihi gaudia, cum quo

Partiri curas tempus utrumque dabit?

I tamen, aspectuque tuo solare Parentes, 45

Quos subitus Nati perculit interitus;

Interitus, quem scissa manu Florentia crines

Flebilibus fertur collacrymasse modis.

Quid renovem luctum funebri carmine? mecum

Sat flevit querulo tristis avena sono. 50

Non tuus occubuit Frater; nam claudere viso

Lumina in æternum sunt referata diem.

Manantes lacrymas cohibe, mentisque tumultum;

Possumus audentes his graviora pati.

A vicibus duris ætas incepta beatæ 55

Abdita sæpe sinu semina fortis habet.

Quid Regem memorem Cyrum? fortemve Quirinum

Thybridis expositum prætereuntis aquis?

Aspera quis nescit Mosis cunabula? Testis

Tu, Joseph, Fratrum vendita præda dolis. 60

Non crucient mala nos propero concepta pavore;

Nec spes vana avidi somnia cordis alat.

Sors sua quemquē manet. Quoties mens nescia vitat

Quæ tolerata juvant, & sequitur quod obest?

Nos decet e Superum nutu pendere. Pericla

65

Intrepide intrepido sub duce miles obit.

Proderit hæc olim forsan perpeſſa referre,

Tempora cum nobis candidiora fluent.

Interea geminat vires exercita Virtus,

In propria retinet ſi ſtatione gradum.

70

IN

Fontem miri artificii

Epigramma.

LARGIOR anguſta primum deſertur in auras,
Inde magis lata ſubſilit unda via :

Exprimit hinc patulum tenui cratera liquore ;

Quid gelidam ſitiens non bibis, hoſpes, aquam ?

Nam cui lymphæ ſitim mira non provocet arte ?

5

Ipſe calix lymphæ eſt, ipſæque lymphæ calix.

DE

D E

FORTE PONTIFICO NAVIS EFFIGIEM HABENTE.

BELLICA Pontificum non fundit machina flammæ,
Sed dulcem, belli qua perit ignis, aquam.

D E

ULYSSIS ALDOBRANDI LIBRIS.

MULTIPLICES rerum formas, quas Pon-
tus, & Æther
Exhibet, & quidquid promit & abdit Humus,
Mens haurit, spectant oculi, dum cuncta sagaci,
Aldobrande, tuus digerit arte Liber.
Miratur proprios solers Industria foetus,
Quamque tulit moli se negat esse parem.
Obstupet ipsa simul rerum foecunda Creatrix,
Et cupit esse suum, quod videt Artis opus.

IN

IN PONTICI AVARITIAM.

UT parcas opibus, tibi quid non parcis? an unquam

Augendi census terminus ullus erit?

Define divitias fulvo cumulare metallo;

Tam tibi deest, quod habes, quam quod habere nequis.

Quid tamen obduras toties, quid Pontice, jactas?

Non nisi, qui frugi est, possidet ullus opes.

Tu mihi dives eris, qui, ne quo tempore partis

Divitiis egeas, Pontice, semper eges?

AD AURELIUM URSUM.

ALLICIS, Aureli, mentes; seu rustica pangis,
Seu fera bella refers, five jocosa canis.

Utque tenet variis pomis & floribus hortus

Lumina, Lectorem sic tua Musa tenet.

At varia hortorum spectanti copia præbet

Quæ legat; aut isthæc, aut magis illa probet.

Tu tamen, Urse, trahis Lectorem quolibet; & dum,

Quod legat, advertit; nil nisi lecta legit.

IN

IN MALEDICUM QUI
IN URBIS ROMÆ NOMEN
IMPIE LUSIT.

CUM Romam nequeas (quod aves) evertere, no-
men

Invertis, mores carpis, & obloqueris?

Te Germana tamen pubes, te Græcus, & Anglus

Arguit, exceptos quos pia Roma fovet.

Hostibus hæc etiam parcens imitatur Iesum.

Invertis nomen : quid tibi dicis ? amor.

DE EODEM NOMINE.

ROMA, sibi quondam quæ robore subdidit
Orbem,

Argivo robur nomine significat.

Obsita tunc tenebris, taurino polluit Aras

Sanguine, cum faceret sacra nefanda Jovi;

Vertit ab his mentem, cultus exosa Deorum,

Et veri floret Relligione Dei.

Si nomen vertas, Amor est : ut congruit ! Illi

Nam pius in populos cuncta subegit Amor.

DE SOLE ET APE.

LUCE fugat tenebras, cera dum vestit ab igne
Accensas faculas, æmula Solis, Apis.

DE PRONUBO
DEIPARÆ VIRGINIS
ANNULO,

Qui Perusiæ religiosissime affervatur.

IMBRIFERIS Arcus fulgens in nubibus Orbem
Effera diluvii damna timere vetat.

Sic Deus Omnipotens voluit: decus, Annule, majus

Est tibi, quem supplex Urbs Perusina colit.

Es gemino constans arcu felicior index:

Nam peragit Virgo nupta Salutis opus,

Virgineo Terræ conjungens fœdere Cælum.

Hac duce non pelagi, non Stygis unda nocet.

DE SANCTO PETRO.

SÆVITIAM vultu spirans in stipite tortor
Dum Petri plantas figeret, atque manus;

Hoc

Hoc positu Crucis est clavis affixus Iesus,

Hæc inversa, precor, sit mihi, Petrus ait.

Protinus ecce ! Crucem invertunt, sublatus in altum 5

Pes tendit, pendens frons prope tangit humum.

Sic voluit perimi sacri moderator Ovilis,

Hujus ut in terris indicet esse Caput.

Sic aliis per iter cælestis Claviger Aulæ

Protenfis pedibus præviis astra petit. 10

DE SANCTO PAULO.

E CÆLO tibi, Paule, lux refulsit

Aureo radians decore ; sic fis

Agnus e rabido lupo. Supernæ

Hinc te miror ut Angelum Cohortis.

Me tuum eloquium trahit stupentem, 5

At magis sacra flamma Caritatis.

Raptum ad fidera te filens honoro,

Et cum lacte tuum colo cruorem.

Vana spes, temerarius sit ausus,

Quærens te celebrare : fat voluptas, 10

Cum cor exilit ob tuos triumphos.

Rauca vox labiis profusa, plectro

Qui meo citharæ sonus cietur,

Non laudis, sed amoris est tributum.

R

DE

DE NECE REGINÆ SCOTIÆ.

TE quamquam immeritam ferit, ô Regina, securis,

Regalique tuum funus honore caret;

Sorte tua gaude, mœrens neque Scotia ploret :

En ! tibi pompa, tuas quæ decet exequias.

Nam tibi non paries atro velatur amictu,

Sed terras circum nox tenebrosa tegit :

Non tibi contextis lucent funalia lignis,

Sed Cæli stellæ : Nænia triftis abeft,

Sed canit ad feretrum Superum chorus aliger ; & me,

Cælesti incipiens voce, filere jubet.

D E

S. CAROLO BORROMÆO

E T

duobus aliis Cardinalibus à Montepolitiano

NOBILIO ET BELLARMINO.

HÆC vitæ innocuæ specimen fert omnibus ætas,
Quos Vaticani muricis ornat honos.

Sanguine Pontifici junctus, florensque juvena,

Corde pius, castus moribus inter opes,

Caro-

Carole, qui fulgens ostro decus adjicis astris,
 Tu præis exemplo, dans documenta viris.
 Nobile par æque præstat Virtutis in æde ;
 Hos nobis soboles Politiana dedit,
 Sanguine conspicuos simili, & pietate coruscis;
 Excitat hic juvenes, provocat ille senes.

IN PIOS AFFECTUS ANGELI GRILLI ABBATIS.

DEMULCENT animos sacro quæ carmina
 plectro

Concinis, angelicos visa referre modos.

Angele, seu Christi cunas, vel funus acerbum,
 Seu lacrymas memoras, quas pia corda cient ;
 Mirus ubique potes duras inflectere mentes :
 Qui fluit hinc, ægris fit medicina, dolor.
 Mox oritur divinus Amor, curasque profanas
 Pellit, & humanum nectare pectus alit.
 Hinc tibi cælesti præcinget tempora lauro,
 Qui manet Aligerum te super astra chorus.

AD SERENISS. DUCEM
ALEXANDRUM FARNESIUM
DE VICTORIA BELGICA.

SUB Duce, Roma, tuo cecidit bis Belga ; resumpsit
Perfida bis fracto foedere tela manu.

Nunc iterum arreptis infelix occidit armis,

Cogitur & duras rursus adire vices :

Et tua tecta licet jaceant illa aurea, sentit

Stare tamen veteres in sua damna viros.

Victor, Alexander, Belgæ das jura subacto,

Definat ut posthac rumpere Belga fidem.

• Pars laudis celebranda tuæ : Cum viceris hostem,

Leni injecta manu fræna docere pati.

19

DE
PICTURIS GUIDONIS RHENI
IN SACELLO EXQUILINO
S. D. N. PAULI V.

UT trahit, ut retinet, defixaque lumina fallit,

Quod Rhenus celso fornice pinxit, opus !

Pictorem celebras, hæres immotus, & anceps

Ambigis, an sculptor, an sit uterque simul.

Sculp-

Sculpta putas, quæ picta vides ; sic undique pulchre
Prominet eximia perlitus arte color.

DRACO ÆREUS
IN
FRONTE LAURETI, IN VIRIDARIO
CARD. BURGHEsii.

NON fedeo custos, adsto venientibus hospes :
Non magis hæc domino, quam tibi, Villa
patet.

Hic requiem captaré licet, passimque vagari,

Aeris hic haustu liberiore frui.

Nec species animum turbet metuenda Draconis : ;

Non ego, quæ flammis Hydra perempta cadat ;

Non ego sum Python, feriant quem spicula : lauros

Ecce ! mihi credit Cynthius ipse suas.

DE

A D

ULYSSEM ALDOBRANDUM

De ejus admirabili rerum naturalium
Hermathena.

QUÆ Maris & Terræ peragravit, & Aeris oras,
Non fluxis opibus mens tibi dives erat.
Sed cui sat vitam parvo traducere, majus,
Aldobrande, decus fert tibi parva domus :
Parva quidem, magno pandit tamen æmula Mundo,
In vasto quidquid continet ille sinu.

A D

AUGUSTINUM NERUM
PORCILIANI DOMINUM
IN FLORE ÆTATIS EXINCTUM.

EFFERA mors Floræ passim bacchata per
Urbem,
Funereis nec adhuc exaturata rogis ;
Dum, quemquam potuisse brevem protendere lucem,
Sive obitum alterius non doluisse, dolet :
Deliciæ Patriæ, decus, Augustine, tuorum,
Flos juvenum, quo non alter amabilior ;

Ne

Ne quisquam mœrore vacet, luctusve fit expers,
Te, teneros annos non miserata, rapit.

DE ATTILIO REGULO.

AMBIGIS an patriæ major sit cura salutis
Attilio, an pactam non violasse fidem?
Quæ dictabat amor mirata est Roma loquentē;
Africa sed reducem non minus obstupuit.
Maeste vir invicta mentis vi: barbarus hostis
Muricibus tortum te laniare potest,
Et sævo perimens letho tibi munera lucis
Demere, dum jugi vulnere membra ferit;
Mors tamen atra nequit præclarum extinguere nomen,
Quin tua lux oriens hinc rediviva micat.
Quod fragile est, periit: Virtutis fulgida proles
Gloria perpetuo, non peritura, viget.

DE STATUA NIOBES IN HORTIS MEDICEIS.

BIS septem Niobe natis orbataque caro
Conjuge sum, ducto facta rigore lapis.
Ecce! tamen spiro: nec enim de marmore finxit
Me faber, at vitæ reddidit arte nova.

Lu.

Lumina non fundunt lacrymas ; non marmoris hic est
 Candor ; hebent tristi pallida membra metu.
 Omnis inest sensus, nec linguæ deficit usus :
 Sed taceo ; timeo nam mage cauta loqui.

AD IOANNEM PELICANUM
 SENATOREM URBIS,
 in PETRI VICTORII librum de cultura
 Olearum.

HUNC, Pelicane, Petri summa scriptum arte
 libellum,
 Exiguum nostri pignus amoris, habe.
 Hinc poteris oleæ varios pernoscere cultus,
 Largius ut baccas germina læta ferant.
 En ! age olivarum foecundas inferre plantas,
 Et tua Palladio prela liquore fluant :
 Palladis ut per te diffundant rura secundum,
 Per quem jam primum floret in urbe decus.

EX

EX GRÆCO
ANACREONTIS
EPIGRAMMA.

BOS cornu, pedibus Sonipes, rictuque Leones,
 Infidiis Vulpes, unguibus Urfa nocet:
 Est Lepori cursus velox, Avibusque volatus;
 Provida mens Homini, consiliumque datum:
 Quid pro consilio, pennis, cursuque, Puellæ,
 Pro rictu, infidiis, cornibus, ungue, pede?
 Pro cunctis tantum est teneris data forma Puellis:
 Quin valet hæc ferro, quin nocet igne magis.

DE
STATUA DIANÆ
DORMIENTIS AD FONTEM.

PER silvas jaculis nuper cursuque Diana
 Gaudebat celeres exagitare feras.
 Nunc defessa jacet permulcens membra so-
 pore,
 Hic ubi profiliens lenitèr unda fluit.

S

Mar-

Marmoream ne crede; sevem leni aera motu

Ducit, & in vivo spiritus ore sonat.

Non audis? simili sopitæ murmure murmur

Confundens, aures garrula fallit aqua.

A D

CLEMENTEM VIII, DE TABULARIO PONTIFICIO IN ARCE ADRIANA.

HOC nos Scripta loco dubios contemnere casus

Possumus, ô Clemens, munere septa tuo.

Pro quo, sancte Pater, nostris tua gloria chartis

Vivet, dum nobis vita superstes erit.

Quid loquimur, si firmus obex nos protegit Arcis, ,

Et tua se propria fama tuetur ope?

A D

M. ANTONIUM ROSSIUM EXIMIUM SCRIPTOREM.

UT varie formata suos tua litera tractus

Edocet, atque tuum dædala pandit opus!

Nulla tibi similem, nec talem proferet ætas;

Sic tuus in chartis eminet arte labor.

Unus

Unus Alexandrum merito depinxit Apelles ;

Unus Alexandrum scribere dignus eras.

Scribe age quæ gessit Petrus sine sanguine victor ;

Ut tuus in tanto nomine vivat honos.

MONOMACHIA TERRENI AC CÆLESTIS AMORIS.

QUAM duris animum curis dolor intimus angit,
Nec finit optata me requiete frui !

Heu simul ac Cæli meditantem fulgor in altum

Tollit, amans Terram corpus ad ima trahit.

Diffidium hinc oriens geminos committit Amores ;

Inque meo assidue pugnat uterque sinu :

Concertant validis armis, ictusque vicissim

Declinant, artis vincitur arte labor.

Roborat hunc torpor, luxusque, procaxque voluptas,

Dum stimulant sensus mille cupidinibus.

10

Nititur at contra fractis hostilibus ausis,

Qui Superos inter nos vocat, almus Amor.

Spes simul & Pietas geminatis viribus adstant,

Ut Victor sistat cordis in arce gradum.

Inspicit ancipitis Ratio discrimina pugnae,

15

Et jugi clamans voce ministrat opem :

Cede, boni fallacis Amor ; vos ludicra, pessum

Ite ; Domus Dominos non capit una duos.

IN

MIRAM HUIUS SÆCULI

HYEMALI TEMPORE

FLORUM VARIETATEM.

VERIS opes varios flores mirata superbit
Purpureas inter tana Pruina rosas.

Ver queritur, moerensque, Meos cur, inquit,
honores

Floriferumque rapis tu mihi, Bruma, decus ?

Tu quoque, Bruma refert, glaciem furaris, in æstu

Ut sint vina magis grata, nivesque rapis.

Parcite iurgari, clamat Solertia ; per me

Nix æstate riget, florida vernat hyems.

EIS

ΕΙΣ

ΤΟΝ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΛΕΟΝΤΑ
ΤΟΝ ΤΡΙΤΟΝ

ΤΟΝ ΠΑΝΑΓΙΩΤΑΤΟΝ ΚΑΙ ΠΑΜΜΕΓΙΣΤΟΝ

ΑΡΧΙΕΡΕΑ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

ΕΥΠΤΕΡΟΣ ἰπταμένη γῆν φήμη κ' περὶ πόντον,
Ὡς, ἄδ' εἶσα σέθεν τὰς δρετάς, σε τίει;

Πῶς οἶός τις ἔη τιμαῖς κοσμεῖν σε πρεπύσαις,

Οὐκ, ὃν ἔχει τὸ, Λέων, σὸν σῶμα, κόσμον ἔχων;

Ομματα σοι, γλῶσσάν τ' ἐχθρὸς φθίνει· ἐξανόθεν ὃ

τῇ φθόγγος, κείνοις φέγγ' ἐπῆλθε πάλιν.

Κλεῖε τέλος θνητοῖς φῶς ὄμμασι, φθαρτὸν ἀναιρῶν

Τὸν βίον ἀχλύοις τῇ δρεπάνῃ θάνατ'.

Ἀλλὰ Κλέ' χαλὸν λαμπρῇ σοι χειρὶ τὸ θεία

Εἰς φά' ἀμβρόσιοι δέξματα οἷγε πόρον.


EX

EX GRÆCO.

QUÆ mare, quæ terras pernici transvolat ala,
 Quam mire celebrans te pia fama canit?
 Quis, Leo, promeritæ decoret te laudis ho-
 nore,

Cui tibi concessum non sit in ore decus?
 Reddidit excisam Superum tibi gratia linguam,
 Et discerpta simul lumina restituit.
 Denique mortalis præcludit luminis usum
 Falce secans vitam mors tenebrosa brevem.
 Sed tibi divinum dextra radiante perennis
 Lucis ad aspectum Gloria pandit iter.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ
 ΑΓΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΙΑΝΟΥ
 ΕΙΚΟΝΑ.

 ΕΣΜΕΥΘΕΝΤΑ βέλη πρὸς μάχην Χρι-
 στῷ ἀγαπᾷς,

Οὐ μὴ ζῶντα γραφθεὶς, μήτε θανόντα γεάφεν.

Ζῆν

Ζῆν μὲν ἔτ' ἀθρόον, νεκρὸν δ' φοβέμεθα πίπειν,
 Καὶ μέγα δ' ἐν ἡμῖν τραύματ' ἐνῶρε πάθος.
 Εμπαγε τραυματίεσσι θηλάσσειον αἰσέρας ὄουε,
 Καὶ σῶμα μὲν χαῖνον λισσομένη δοκίει.
 Οὐκ ἔξεσι τέχνη φωνῇ δ' ἀπὸ χρώματι δείξαι,
 Νῆς δ' γραφέντα βλέπει χεῖλεα τῶτο λέγειν·
 Ἀμμα λύειν, ψυχὴν δ' ἐμὴ μεμαῖα φέρεας,
 Ως ἔλαφός διψῶν πίδακα, πρὸς σε, Θεός.

EX GRÆCO.

DEPIC'TUS Christi miles, quem spicula figunt,
 Os neque viventis, nec morientis habet.
 Ne cadat expirans metuis, quem vivere
 cernis,
 Teque pio sensu vulnera sæva cient :
 Sed placide, quamquam sic faucius, inspicit astra,
 Dum labra suppliciter more precantis hiant.
 Non datur artifice vocem depingere ; pinxit
 Hunc tamen, ut credas talia verba loqui.
 Vincula solve ; tuum, Jesu, sitit anxia visum
 Mens mea, ceu fontis Cervus anhelus aquam.

10

ΕΙΣ

ΕΙΣ ΤΟ
ΤΩΝ ΓΥΝΑΙΚΩΝ ΚΑΛΩΠΙΣΜΑ
ΤΟ ΚΑΤΕΨΗΦΙΣΜΕΝΟΝ.

ΑΥΧΕΝΑ μὲν τί λίθοις κοσμεῖς, φυκῆσα πα-
ρειάς,

Εὐώδ' ἢ τε κόμαις πλὴν δρόσον ἀμφιχέεις ;
Ταῖς ἀρεταῖς ψυχὴν, ἐκ ᾧπ' ἐκφαίδροε μίλτω,
Ὡ ζητῆσα κόρη γνήσιον ἀνδρὸς ἔργον.

Ὡς δ' ὅ συγγενικῶ πυρρίζει χρώματι μῆλα !

Ἦκεν χρωστῆς ἡ χεῖρα ποθεῖ τὸ ρόδον ;
Κόσμον ἄφες μαλακόν, Φῦκός τ' δ' ἀπόβαλλε προσώπῃ·
Μεῖζον ἔχει φίλτρων χάλλ' ἀτεχνότερον.

EX GRÆCO.

QUID pulchram medicas faciem, collumque
lapillis

Cingis, & effuso spargis odore comam ?

Non minio malas, animum virtutibus orna,

Quæ cupis, ô virgo, nupta placere viro.

Aspi-

Aspice nativo rutilant ut poma rubore !

An rosa pingentis pollicis optat opus ?

Mitte supervacuos cultus, fucumque genarum ;

Acrior est illex, qui caret arte, decor.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ

ΤΟΥ ΟΔΥΣΣΕΩΣ ΤΟΥ ΑΛΔΟΒΡΑΝΔΟΥ

ΒΙΒΛΩΝ

ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΕΡΜΑΘΗΝΗΣ

τῆς τ' θαυμαστῶν πραγμάτων βελύξεως τ' φύσεως.

ΟΥΚ Αλδ' οβρανδὸν ποιεῖ, ξένης, γνῶριμον εἰκῶν
Σοὶ μένον, ἀλλὰ βίβλον ἢ δόμον ἐστὶν ὀράν.

Ποικίλα εἰ ποθέεις ἴδμεν βλασήματα γαίης,

Χερσαίων, πλωτῶν, νηχομένων τε γένε'.

Βίβλον ἀνοίγε, βλέποις κόσμῳ κειμήλια· λάμπει

Ἀνδρὸς ἐκεί σοφίῃ, μέτε' ὧδε βίβλ'.

Ζηλωτὸς βίος· ἐν πενιχρῷ γὰρ πλάσιος οἴκῳ

Παγγενετείρας ὡς τ' φύσεως ταμίας.

EX GRÆCO.

NON Aldobrandum nosces ab imagine solum ;
 Attente librum perlege, cerne domum.
 Si diversa cupis dignoscere germina Terræ,
 Terrigenum, Volucrum, Squamigerumque genus;
 Hoc opus evolvas: Mundi patet ampla supellex,
 Ingeniumque sagax, mensque modesta viri.
 Vir felix; tecto clausit sub paupere dives
 Naturæ custos quas referavit opes.

DISTICHON AUSONII.

INFELIX Dido, nulli bene nupta marito ;
 Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

ΔΙΣΤΙΧΟΝ ΑΥΣΟΝΙΟΥ

ΕΛΛΗΝΙΣΤΙ ΜΕΤΑΦΡΑΣΘΕΝ.

ΟΥΔΕΝΙ ΕΥ ΑΝΔΡΩΝ ΕΓΧΑΜΗΤΗΣ, ΔΥΣΜΟΡΕ
 ΔΙΔΩ.

Τῷ Φύγες ἐν θανάτῳ, τῷ δὲ φυγῇ ἔθαιες.

ΕΙΣ ΤΟ ΡΟΔΟΝ.

ΕΜΦΥΤΟΝ ἐκπερχέον πλέτον, ἐ νήδυμον
 ὠμῶ,

Οἶμασι πορφυρέῳ χρώματι χάρμα φέρον,
 Αἰγλαΐδῳ πέδιε, πάντων κλέθ' ἐξοχον ἀνθῶν,
 Ἀνθηροῦ τ' ἔαρθ' κόσμον, ἔργῳ τε κορῶν,
 Οὔξυτάτῳ τ' Ῥόδον φεραῖ' ᾧείφραξεν ἀκλουθῶν,
 Φίλτατον ὡς ἔργον, ζηλοτυπούσα φύσις.
 Καὶ τάχα τῷ φύλακας παρέφυσεν, θῆκ' εἰ' αἰαργόν,
 Ἀνθεσι βελομυρμή τὸν Βασίλῃα νέμειν.
 Οὐβίζεις ὅπλοισι Ἀρχὸν φερούμενον; Ἀνθεῖ
 Ὡς Ῥόδον· ἀμφοτέρων κῦδος ἐφημέριον.

EX GRÆCO.

INGENITAS quæ pandit opes, & odore superbit,
 Atque oculos ostro muricis exhilarat ;
 Camporum jubar eximium, Juvenumque voluptas,
 Insignis florum gloria, veris honor ;
 Spinarum natura Rosam munimine cinxit,
 Ut rem, cujus amor sollicitum cor habet.

For-

Forſan & hanc poſitis cuſtodibus induit oſtro,

Utpote Reginam floribus eſſe velit.

Ut felix colitar ſeptus Rex milite? Floret

10

Ceu Roſa ; utrique rapit, quæ dedit, hora decus.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΛΛΗΝΙΚΗΝ ΓΛΩΤΤΑΝ.

ΟΣΤΙΣ δερκόμενος γλώττης Ελληνίδος ἔθαρ,
Καὶ πλῆστον, καλῶς εἶπεν ἂν Ωκεανίν.

Μάργαρα πολλὰ βαθὺς συγκεύπτει κύμασι πόντος·

Οὐ κεῖν ὅκνος ὁμῶς, ἀλλὰ παρέϊλκε πόνος·

Τίμιον ἐδ' ἐν ἄνθ' ἔτρε, καὶ νήδυμον, ὄντος

Καίπτερ ἄγαν πικρῶ, μηδὲν ἔχουσι βροτοί.

EX GRÆCO.

COGNITA cui Græcæ dives ſit copia linguæ,
Hanc merito vaſtum dixerit Oceanum.

Concharum nitidos foetus maris occulit unda,

Quas non ſegnities, extrahit arte labor;

Hoc ſine mortales, quamquam ſit amarus, habere

Dulce nihil poſſunt, eximiumque nihil.

AD

AD
CLEMENTEM VIII.
PONT. MAX.
LEVAMEN PODAGRÆ.

SIRIUS sævit canis, æstuanſque
Contrahit pueros fluvius liquores,
Et decus prati moritur, filetque
Spiritus auræ.

Stridulo tantum fonitu cicada 5

Obſtrepens aures ferit : ô levamen,

O quies ægræ, lyra blanda, mentis,

Incipe carmen,

Quod gravem pellat ſtrepitum, levetque

Principem curis. Age, blandientes 10

Dic modos, mentis quibus excitetur

Vera voluptas.

Pelle mœrorem ; recrea jacentes

Spiritus, qui deficiunt ob æſtum :

Languet heu ! Clemens, geminoque tactus 15

Uritur æſtu.

Glifcit in nervis dolor, & per artus

Ignæus ſerpit vapor : affer ægro

Dulce lenimen ; rege tu canenti,

Pieri, vocem : 20

Tem-

Tempera chordas, ferat ut salutem
 Cantus optatam : rapidas quod olim
 Sit melos doctæ Citharæ moratum

Fluminis undas,

Saxa commorit rigidas & ornos,
 Flexerit diros animos Averni,
 Et fores Orci referarit; esto

Fabula vatum.

Cum venenatus ciet ic̃ta morsus
 Membra, non mendax memoret Tarentum,
 Ut queat dulcis sonitus malignum
 Pellere virus.

AD

PETRUM CARDINALEM
 ALDOBRANDINUM
 FERRARIA RECEPTA.

INSANIENTI cum quatit impetu
 Pagos & Urbes concitus effera
 Mars sævus ira, quæ tumultu,
 Quæve truci vacat ora cæde ?

De-

Confossa passim membra, cadavera
Aggesta, prædas, damna, fine incolis
Domos ruentes, & cruoris
Flumine humum videas natantem.
Desolat agros horrida vastitas;
Ac tecta captarum ignibus urbium
Incensa fumant, & triumphis
Pene suis gemit ipse victor.
Testis tot eheu! Gallia cladibus
Funesta, testis Belgica lugubri
Vexata gens bello, tot annos
Se lanians sibi dissidentem.
Ferrarienses, inclyta Civitas,
Te clade nulla, te fine prælio
Videre Victorem, tuoque,
Petre, frui cupiere vultu.
Ut, cui salutem, pacis & otium
Debere norant, gaudia pectore
Concepta præferrent; Juventus
Nobilium, populique turba
Effusa portis undique confluit;
Te spectat unum, dum tua dextera
Protensa format fausta sacræ
Signa Crucis, Tyrioque fulges

Infig-

Insignis ostro : compita plaufibus
 Sonant ; ab altis moenibus ærea 30
 Tormenta, jam converfa in ufum
 Lætitiæ, geminant fragorem.
 Ut fama primum, rem tibi prospere
 Ceffiffe, lata eft ; gaudia nescius
 Celare, fub lapfu filenti, 35
 Servitii quafi vincla, pontem
 Excuffit, alto gurgite liberas
 In æquor undas Eridanus ferens.
 O faufta lux Romæ, quotannis
 Infolito recolenda plaufu ! 40
 Dum lecta Mavors inftruit agmina
 Utrinque ; nullis fallitur artibus
 Tentata mens Patris fupremi,
 Propofitique tenax, & omnis
 Terroris expers audet, & acriter 45
 Conftans Averni devovet ignibus
 Rite execrandum mentis hoftem
 Heu ! nimium male pertinacis.
 Tu juffus Euris ocyor arripis
 Iter, phalanges cogis, & expedis 50
 Tormenta, quæ demoliendis
 Arcibus exitium minantur.

Mox

POEMAT A.

153

Mox alta virtus se tua militi
Ostendit, & diffunditur hostibus ;

Tu mitis affatu, sagaci

55

Confilio, placidoque vultu
Ferrarienses concilias tibi.

Hinc hæret anceps Cæsar, & inscius

Cui fidat, armis Vaticanum

Depositis colit & veretur.

60

Nil laudis hujus machina præripit

Flammis trifulci fulminis æmula,

Nil arma, nil aggesta tellus,

Nil equitum peditumque turmæ,

Ducumque Virtus ; hæc tibi gloria

65

Debetur uni, quam neque deterat

Obliviosi cursus ævi, aut

Pone sequens nebulis obumbret

Nascentis atrox hostis adoreæ

Livor ; futuri non ope temporis

70

Utcunque nubes dissipâris :

Aufonias volitans per Urbes

Te fama, laudes te canit in tuas

Effusa præsens, atque perennibus

Fastis sacrat. Quem ætas honorem

75

Postera pro meritis rependet ?

U

Lux

Lux ô Latini Nominis, hostium
 O terror, ô spes unica Thybridis,
 Invicte Princeps, ô coruscum
 Purpurei columen Senatus !

80

AD FRANCISCUM CAROLI FRATRIS FILIUM EXHORTATIO AD VIRTUTEM.

INGRESSE pubis limina lubricis
 Calcanda plantis, se tibi semita
 Declivis offert, & dolofo
 Pandit iter malefida ductu,
 Francisce, Fratris germen amabile ;
 Ob quem sub imo condita pectore
 Me cura mordet, detinetque
 Solicitum, Genitoris instar ;
 Subsisce mecum, nec grave duxeris,
 Hinc ex amoena, quæ patet, orbita,
 Ductore me, flectens adire
 Per salebras Heliconis antrum.

5

10

Huc

Huc, nate, gressus ; hic licet aureo
Phœbi cientis pectine musicas

Audire chordas, dum canentes 15

Dulce melos fociant Camœnæ.

Hic multiformi carmine barbitos

Eburna Parcas sopit, & eripit

Heroas Orco, quos perenni

Fonte beat comitata Virtus. 20

Huic obsecutum conspicis inclytum

In collis almo vertice Thesea,

Quem flexuosis non fefellit

Tramitibus fabricatus error.

Sic vectus altum per mare subdolos 25

Cantus Ulysses dicitur integer

Audisse ; sic vitasse Circes

Pocula, lethiferas & herbas.

Spectandus hic contemptor^r anhelitus

Spirantis ignem, divite velleris 30

Præda coruscat luctuosus

Messor agri gravis ære, & hastis.

Conficta Proeto crimina deferens

Conjux necari quem petit, innocens

Hos inter excellit triformis 35

Bellerophon domitor Chimæaræ.

Phoebea laurus frondibus allicit,
Dulcique pascit nectare Pegasus ;

At nosse vim nobis negatur

Melle sub Aonio latentem.

42

Sensus recludet Cynthus abditos ;
Audi canentem. Quem fovet aurea

Virtus in ulnis, ille monstros

Victor ovat domitis beatus.

Non hunc voluptas molliat, & impetus

43

Non vincit iræ, quæ violentius

Succis & herbis in ferasum

Terga viros & in ora vertunt.

Ut ecce ! plaudit Castalidum chorus,

Phœbique concors carmina concinit !

59

Hic siste rursus, me petente

Sacra refert tibi verba Chiron.

Incompta quondam claraque simplici

Nitore formæ, talibus Herculem est

Affata Virtus, dum procaci

55

Blanda sono loquitur Voluptas :

Hæc sumptuosâ tegmine turgida,

Pexoque mollis crine, micantibus

Ornata gemmis, appetenda

Sub specie, male caute puber,

60

Edoctræ

Edocta fraudes nec̄tere fraudibus,
Te ducit atris qua scatet anguibus,
Dum flore vernans se terendam
Perfacili via prona gressu
Ostentat; umbras frondibus explicat
Hic arbor, ales dum canit; ah! fuge
Quæ poma pendent, quosque vitis
Fert gravidis latices racemis.
Hæc pulchra visu poma necem ferunt :
Hæc, quæ renidet, lumina decipit ;
Lethale nam larvata virûs
Purpureo tegit uva succo.
Si me sequeris per loca fentibus
Infesta, tesquis horrida, per nives,
Per saxa, per montis cacumen,
Sternet iter tibi ferrum, & ignis.
Ureris æstu, pulvere sordidus
Pulchro, madebis tempora nobili
Sudore, non fractus labore, &
Magnanimo generosus ausu.
Evectus alis hisce per Æthera
Tranabis ignem, & lactis iter pede
Premens, coruscanti micabis
Luce novum decus inter astra.

AD

A D. R. P.

ANTONIUM BARBERINUM FRATREM AMANTISSIMUM

Ex debellato corpore mentem in Cælum
rapi.

PA R S hominis deducta putri Telluris ab alvo,
Cælique semen spiritus,
Dum fociis hærent vincti compagibus, arma
Jugi duello conferunt.

Quisquis ab illecebris terræ se lumine mentis
Convertit ad cælestia,

Opprimit Antæi robur, superatque lacertis
Alter dolos Tyrinthus.

Filia Cassiopes nudato corpore, sævis

Objecta Ceti faucibus,

Dum gemit & Cælum lacrymanti suspicit ore,
Adeffe cernit Persea,

Seque neci raptam ; dono mox Palladis inter
Corusca fulget fidera.

Herbida dum comites inter per prata vagatur,
Floresque prona colligit,

Solis

Solis ab aspectu Plutonis rapta quadrigis

Orcum subit Proserpina.

Quis neget e nebulis radium splendescere lucis ?

Non facra solum Pagina

20

Disjedis ducit tenebris Virtutis ad Ædem,

Sed rima lucis ignea

Pieriis umbras inter se prodit ab antris,

Regens pedum vestigia :

Affluit & variis rivis cælestis in omnes

25

Mentes redundat Veritas.

Hac duce, cui decorant divino munere palmas

Verenda Jesu stigmata,

Franciscus nudis pedibus vilique lacerna

Indutus, abdito in specu

30

Omnia quæ blanda proponit fronte voluptas,

Vanumque fastum despicit.

Commoda non optat vitæ, sub graminis herba

Anguem latere conscius.

Languida fessus humi declinat membra sopori,

35

Famemque pomis eximit ;

Fonte sitim sedat, neque nectaris expetit haustus,

Mentique corpus subjugans

Pauperiem colit, & lamnis hanc divitis auri,

Gemmisque præfert Indicis;

40

Ac

Ac, veluti Samson, dulces ex ore perempti
Leonis accipit favos.

Nam quali mentem pascit dulcedine, donec
Intentus astra respicit,

Et, noctu vigilans, animi sublatuſ ab aliſ,
Choriſ beatiſ intereſt!

Antoni germane, ſacram qui paupereꝝ cultu
Sectare Franciſci viam,

Quam celebrant omneſ felicem ducere vitam
Non omnibuſ conceditur:

Se proba paupertas animiſ ſine dote maritat
Veraſ opes amantiſ.

A D

CAROLUM FRATREM ΦΙΛΑΥΤΙΑ FUGIENDA.

QUAM pulchra blande ſenſibuſ ingerunt
Externa noſtriſ ſe bona! Purpuræ
Qui fulgor! ut formoſa pandit
Virgineum facieſ decorem!

Ut ardet auri ſplendor amabiliſ!

Ut ridet Aulæ gratia Regiæ!

Quot luxuſ induſtuſ figurat
Attonituſ trahit ore vulguſ!

Proh!

Proh ! quis latentis femina toxici
Non hausit imo corde? Cupidinis

10

Heu ! febre jactati proterve
Tantaliciis inhiamus undis.

Heu ! quisque rursus, cui placidus fugam
Sistens bibendum se liquor exhibet,

In fontis elusus nitore

15

Effigiem sequitur fugacem
Narcissus alter : cæcus amor sui
Ut obruit vim mentibus infitam !

Ut fertur excussis habenis,

Libera quo rapuit voluntas !

20

Ut perdit omnes ! sæpe quod expedit
Humana nescit cura capeffere ;

Intenta jucundis canorum

Imbibit Aonidum leporem, &

Non percipit, seu negligit aurea

25

Quæ sensa Pindus nectare condidit.

O te beatam, cui supremi,

Samariæ mulier, Magistri

Audire vocem contigit ! Hydriæ

Oblita, lympham non cupis amplius,

30

Quæ pota non sedat, sed auget

Lethiferum sitientis æstus.

X

Hæc

Hæc frater æquis Carole moribus

Imbuta Proles audiat : Integra

Nil mente majus ; pars paternæ

Sortis erit fatis ampla Virtus.

PAX ALLOBROGICA.

MENTIS verendum non acie minus,
 Quam bellicosi robore militis,
 Quem nuper excepit superbo
 Maximus Eridanus Triumpho ;

Formosa pennis quem super aureis

Vexit profundum trans mare Gloria,

Alpesque, terrarumque tractus

Præpete transfiliens volatu ;

En ! pace parta Petrus ab exteris

Oris revertens, eximit Italis

Belli timores, & cupitam

Aufoniæ statuit quietem.

En ! Roma curas pellit, & explicat

Frontem serenam : sic maris æquora

Cedente vento conquiescunt ;

Tale nitet sine nube Cælum.

Pen-

Pendebat anceps mentis & anxius

Clemens futuri, concita dum gravi

Europa bellorum tumultu

Perniciem pavet imminentem.

20

Quid moliatur? quid paret? instruit

Te, Petre, jussis, mittit & arduis

In rebus expertus sagacem.

Tu Rhodani celeres ad undas

Summi capeffens grandia Principis

25

Mandata, tendis qua violentior

Martis recrudescit furentis

Ira, novas paritura clades.

Non te rapacis fluminis impetus,

Non ater imber, non juga montium,

30

Nivesque concretæ, nec Aufser

Turbine præcipiti morantur.

Te mille votis, te prece prosequi

Non cessat altrix Roma per Infubrum

Fines agrorum transeuntem, &

35

Allobrogum gelidas per Alpes.

Intenta fixo Gallia lumine

Te spectat, & quas auribus hauserat

Mirata, virtutes in ipsa

Fronte legit, meritasque laudes.

40

X 2

Mox

Mox, qui feroces contudit hostium

Turmas, nec acris cessit Iberiæ

Henricus armis, efficaci

Eloquio tua se trahenti

In vota cedit, cedit & Allobrox,

45

Quem fronte sæva non potuit minax

Terrere Mavors, annuitque

Hesperiaæ Dominator oræ.

Ut corda Regum flectis ahenea,

Gravique mulces bile tumentia !

50

En ! Roma, toto gestientem

Pectore lætitiâ profundens,

Dum te per Urbem non sine plausibus

Ad Vaticanum purpureus Patrum

Deducit Ordo, Quid meorum

55

Maxima pars decorum, quid, inquit,

Probata Virtus, sit licet arduum,

Non ad secundum duxerit exitum?

Quo te revertentem triumpho,

Qua decorem tua facta pompa?

60

Non, qui procaci garrulus obstrepat

Clamore, circum milite cingeris ;

Delata non visuntur urbes

Quæ referant simulacra victas ;

At

At quisque narrat quam tibi gloriam 65
Addunt inermi Gallus & Italus,
Gentesque, & Urbes, quas Philippus
Confilio moderatur æquo.
Non hic sonantem compede Persea,
Non hic Jugurtham carceris obstitum 70
Squalore, non pulsum paterno
De folio video Syphacem.
Vesana sed Discordia ducitur,
Quæ scissa pallam, vinctaque ferreæ
Nexu catenæ, claudicanti 75
Membra trahit prope nuda gressu.
Post hanc recenti sanguine fordidum
Et crine cano fert Odium pedem ;
Dolensque se loris revinctum,
Dente manus lacerat cruentas, 80
Hinc Terror, atro corpore luridas
Discerptus alas, progreditur, face
Subfultus extincta ; nec amens
Livor abest, ferus huic cerastes
Cor dente pascit ; filia temporis 85
Velata puro tegmine Veritas
Vultu reluctantem protervo
Subsequitur, quatiens flagellum.

IN OPUS
ROBERTI BELLARMINI
S. R. E. CARDINALIS

De Ascensione mentis in Deum.

SUMMI decora dum specie boni
Hinc inde raptas distrahit inquires
Mortalium mentes; negatum
Struxit iter malefana, frontem

Turris minacem nubibus inferens;

5

Mox præpotentis vi Sapientiæ

Confusa, diversum sonante

Eloquio stupidos repente

Hæcere fabros vidit, & irritis

Cæmenta votis undique congeri.

10

Tunc Fama protendens volatum,

Qua celebris rigat unda Cirrham,

Sub fronde lauri nuntia substitit:

Hinc fabulosis vera coloribus

Depicta promens, in Tonantis

15

Imperium Jovis irruentes

In-

Infanienti robore Pelion

Titanas Offæ imponere detulit,

Aufuque conatos protervo

Scandere fidereas ad arces ;

20

Ast interemptos vindice fulminis

Flamma, solutis in cinerem artubus,

(Effent ut exemplar superbis)

Ludibrium jacuisse ventis.

Proh ! quanta densis nox tenebris premit

25

Mortale pectus ! divitis hunc Tagi

Non explet amnis, fartus ille

Deliciis animum fatigat ;

Hunc forma curis angit inanibus.

Quot pulchra fuco purpura fascinat ?

30

Quid ? nonne postquam quisque montes

Montibus intulerit, fatiscet ?

Tutum beatæ fortis iter pede

Venaris ? ævi despice commoda

Præsentis, & clausis fugaces

35

Illecebras oculis tuere.

Sopita fomno lumina clauserat,

Cum vidit olim filius Ifaci,

Ut scala, se tollens ab imo,

Aligerum via trita plantis,

40

Supre-

Suprema Cæli fidera tangeret.

Huc nonne curru raptus ab igneo

Abjecit Helias amictum?

Pone graves animi tumultus,

Huc puræ mentis lumina dirige ;

Scalam recludit rebus in omnibus

Pulsis Bellarminus tenebris,

Quæ gradibus super astra tendit.

Dux ille per vestigia Caroli,

Cui vota fundit, quem decus Infubrum

Miratur Orbis, quem Senatus

Roma sacrum veneratur astrum.

A D

IOANNEM CIAMPOLUM.

Ejus erga Virtutem studium laudat.

AUREO Virtus folio decora
Regnat, & regnum neque Gangis unda,
Nec Maris tractus positis columnis,
Ciampole, claudit.

Hæc inextinctis radiis parentem

Imbrium nubem, tenebrasque noctis

Negligit, miros & amoris ignes

Excitat ore.

Hac

Hac datum visa semel ante pomum

Palladis formæ Paris annuisset,

10

Nec feris sedes Priamî jaceret

Diruta flammis.

Sat suo censu sibi dives, extra

Se nihil Virtus cupit : hæc vel hostes

Placat iratos, sociasque necit

15

Compede mentes.

Quem tot armatis pepulisse turmis

Romulum robur nequit, hæc perusta

Unius dextra potis est Etruscum

Pellere Regem.

20

Quem truci pugnax Acies Quiritum

Marte non fregit, potuit minacem

Hujus aspectus scelus abnuentis

Flectere Pyrrhum.

Hanc colit Pindi chorus, Hippocrenes

25

Phoebus hanc lymphis alit, ut perenne

Laureis frontem redimita fertis

Vivat in ævum.

Mille post anni rapidos recursus

Delio quamvis jaculo peremptus,

30

Pegasi sacra redivivus unda

Testis Achilles.

Y

Fal-

Fallor ? an, Cirrhæ comitata cœtu,

Palladis ductu tibi se videndam

Exhibet Virtus ? viden' ut coruscat

31

Pulchrior astro ?

Simplici prodit placitura cultu,

Nec genas ornat minio, nec auro.

Impedit crines, cupiens olivæ

Nectere laurum.

40

Abfit hinc conjux Jovis, & Cythere :

Carmen exultim sonipes tubarum

Excipit, mentem tibi sola mulcet

Incluta Virtus.

AD

IO. BAPTISTAM STROZZAM.

Ejus laudat animum æternitatis inhiantem

bonis, & humana fastidientem.

CURIS solutum ruris in otio
 Dudum beatam degere credidi
 Te, Strozza, vitam, dum canentem
 Tuscia te coleret, tuumque

In-

Inferret astris nomen ; & aureo
 Dum te cientem pectine dædalas
 Testudinis chordas silenti
 Obstupuit pater Arnus unda.
 At nunc videris jure beatior,
 Qui pura solum gaudia Cælitum
 Reris. Quid in terris rotamus
 Sisyphio lapidem labore ?
 Nil usque gratum, nec fatias favi
 Dulcem liquorem deficit : abditam
 In rebus humanis vel ipsa
 Miscet amaritiem voluptas.
 Inventa curru candida si præit
 Aurora, Solis subsequitur jubar
 Nox atra : nascentem tuere,
 Quæ vario micat ore, Lunam :
 Pars una lumen fundit, & altera
 Umbrata mœret ; nec vaga terminos
 Umbræ coarctat lux, coruscum
 Exerat, aut retrahat nitorem.
 Frustra quietem quærimus anxii,
 Dum Terra Cæli nos tenet exules,
 Quid coena regali paratu
 Prodigæ, Sidoniusque murex,

Quid structa prodest marmore Regia,
Seu quidquid auri congerit India?

39

Quod nuper ascivit cupitum,
Mox animus fugiet perosus.

Quem sæpe victis hostibus inclyto
Romam triumpho viderat invehī,

Ostroque præfulgentem & auro,

35

Dalmaticis Dioclen in hortis

Fastidientem mœnia Romuli

Vidit juvenus Martia Thybridis,

Mirata privatum superbos

Imperii posuisse fasces.

40

A D

GABRIELEM CHIABRERAM.

Carmina Virtuti parere immortalitatem.

NON cuspis ensis, sceptraque regia,
Non fulgor auri, non gena floribus
Decora primævis, nec ær

Tusculus, aut Anienis ora,

Lectove præstans rore Calabriae,

5

Dum vernat, arbos, non aqua Clusii,

Quæ manat Hetrusco salubris

Fonte, diem volucrem morantur.

Lethalis

Lethalis omnes impetit, omnibus

Immitis æque, forfice quæ genus

10

Mortale funestans adurget,

Atropos, horribilique vultu.

Quæ penna monstrum Dædala fugerit ?

Vel certa ferro dextra ceciderit

Cruore cervicem fluentem ?

15

Quæve trucem jaculantis arcu

Pythonæ Phœbi tela peremerint ?

Tu laudis œstro percita, ut alipes

Perfes per auras incruenta

Cæde potes jugulare, Virtus.

20

Non hinc, ut olim sanguine Pegasus

Cretus Medusæ, Gloria nascitur

Innixa pennis, quæ volatum

Pandit ab Hesperiiis ad Indos.

Hæc una vates excitat inclytos :

25

Hæc una fontem, qui juga dicitur

Formosa Parnassi rigare &

Fundere nectareos liquores,

Non unguis ictu Pegasus, elicit.

Chiabrera, testis tu mihi ; Delio

30

Nam melle pascit, recreatque

Ingenii tua vena mentes ;

Seu

Seu fabulosi moribus inferis

Inventa Pindi, seu calamis canis,

Victricis aut plectro labores

35

Aufoniæ celebras, Ducesque.

Per te nec Ascræ collibus invidet

Flores, nec Ætnæ roscida pascua

Arnus, nec Ismeni canorum

In vitreo cupit amne cycnum.

40

Per te furem comprimis Africum,

Irasque Nerei pectine barbitos

Pulsata compescit; comesque

Doridis & Thetidis marinæ,

Pimplæa Dircen Musa Ligusticis

45

Mutavit undis, & choreas agit,

Dum curvus in falsis canenti

Sternit aquis tibi terga Delphin.

AD

A D
FLAMINIUM FIGLIUCCIUM
RESPONSIO

Ad laudes tibi carmine attributas.

UT blanda flores floribus implicat,
Laudumque pulchras Gratia carminis
Nectit coronas, quæ perenni
Fronde virent, capiuntque mentes !

Hæc vera fictis miscet, & utraque

Perfuadet æque: credere Dædali

Jubet volatum, dum per undas

Carbaseis veheretur alis.

Sic fluctuantis per maris æquora

Vectus triremi Bellerophon Equi

Signo decora, per supremas

Creditus est equitasse nubes.

Suadela Thebas condit, & ædibus

Viros vagantes aggregat; attamen

Est dictus Amphion eburnæ

Saxa lyræ sonitu movere &

Quo-

Quocunque vellet ducere. Pindarum,
Phœbi canora dum fide personat,

Multaque dum sublimis aura

Fertur olor, coluere Thebæ.

20

Tellus palustrem me tenet anserem :

Quid me volentem concinit affeclam,

Pindique diffusa colorat

Laude meum tua Musa carmen ?

Mutæ coruscans luce Poeseos

25

Vivis Apelles dicitur æmulos

Pinxisse vultus : dum loquaces

Pimpla suos tibi dat colores,

Formosiores pingis imaginem,

Figliucce, vivi corporis insito

30

Decore, celatîsque mendis.

Non ideo minus enitescit

Illustris almo lumine gloriæ

Ars mira ; feris quin mea posteris

Tuos loquetur picta longe

35

Pulchrior effigies honores.

AD

A D

AURELIUM URSUM.

ALEXANDROS FARNESIOS,

alterum Belli, alterum Pacis artibus incluy-
tum, celebrandos proponit.

JAM fat decoris marmore fontibus,
Cultis & agris, jam satis ædibus
Mire coloratis, & hortis,
Urse, datum statuisque priscis.

Te vecta bigis Fama fugacibus,

Pallas sonanti te ciet ægide,

Ad arma te Mavors, ad arma

Mæoniæ revocant Camoenæ.

Cur non sorores carmina musicæ

Dicant, perenni consona gloriæ,

Quam Dux Alexander, Quiritum

Fulgida lux, columenque Parmæ,

Rebelle ferri cuspide Belgium

Subdens, triumphis adjicit Italis;

Nil arduum vitans, ut aris

Restituat veteres honores?

Z

Non

Non terret illum, quæ volat horridis

Hinc inde pennis plurima cædium

Globis in ignitis imago,

Seu rapidis saliens ab undis.

25

Non acer illi Gallus equestribus

Turmis, cohortes non Batavæ truci

Mixtæ Británnorum phalangi,

Non validis inimicus agger

Munitus armis, non ratibus mare

25

Vires adaugens undique prælium

Miscentium atrox pertinaci

Robore, præripuere palmam.

Quam sæpe duro corpora deferens

Perempta ferro Scaldis inhorruit!

30

Quam sæpe Belgarum cruore

Terrifici maduere campi!

Quis cæsa narret millia militum,

Captas & arces? non ego deteram

Exilis incompto paratu

35

Ingenii, gracilique avena

Laudes, sonora voce cani tubæ

Dignas. Peritus pectine tu lyram

Pulsare Phoebeam, Patremque

Dicere Farnesium Senatus

40

Spem

Spem Vaticanæ fuetus, in ultimas
 Telluris oras & pelagi plagas
 Defer, per auras vectus alis
 Pegaseis, utriusque nomen.
 Florente in uno pace, & in altero
 Ardente bello, nostra nepotibus
 Proponit ætas, quod capeffant,
 Eximium specimen regendi.

45

ADULATIO PERNICIOSA.

CUM Luna Cælo fulget, & auream
 Pompam sereno pandit in ambitu
 Ignes coruscantes, voluptas
 Mira trahit retinetque visus.
 Hic emicantem suspicit Hesperum
 Dirumque Martis fidus, & orbitam
 Lactis coloratam nitore;
 Ille tuam, Cynosura, lucem.
 Seu Scorpî cor, five Canis facem
 Miratur alter, vel Jovis affeclas
 Patrisve Saturni repertos
 Docte tuo Galilææ vitro.

5

10

Z 2

At

At prima Solis cum referat diem
Lux orta, puro Gangis ab æquore
Se sola diffundit, micanſque 15
Intuitus radiis moratur,
Non una vitæ ſic ratio genus
Mortale ducens pellicit : horrida
Hic bella per flammas & enſes
Lætus init, meditanſ triumphos, 20
Eſt, pacis ambit qui bonus artibus
Ad clara rerum munia provehi.
Illum Peruanas ad oras
Egit amor maleſuadus auri.
Hunc, ſumptuoſus dum Siculæ juvat 25
Menſæ paratſ, ſpēs alit aleæ
Mendacis, ac fundis avitis
Exuit & laribus paternis.
Nil eſſe regum forte beatius,
Mens & cor æque concipit omnium, 30
Quos larva rerum, quos inani
Blanda rapit ſpecie cupido.
Non ſemper, extra quod radiat jubar,
Splendescit intra : reſpicimus nigras
In ſole (quis credat ?) reſectas 35
Arte tua, Galilæe, labes.

Scep-

Sceptri coruscat gloria regii
 Ornata gemmis, turba fatellitum
 Hinc inde præcedit, colentes
 Officiis comites sequuntur ;
 Luxu renidet splendida, personat
 Cantu, superbit deliciis domus ;
 Sunt arma, sunt arces, & aurum ;
 Jussa libens populus capeffit.
 At si recludas intima, videris
 Ut sæpe curis gaudia suspicax
 Mens icta perturbet. Promethei
 Haud aliter laniat cor ales.
 Cui fensa mentis providus abdita
 Rex credat ? aut quos caverit ? omnium
 Sincera, seu fallax, eodem
 Obsequio tegitur voluptas,
 Fugit potentum limina Veritas,
 Quamquam salutis nuntia ; nauseam
 Invisa proritat, vel iram :
 Sæpe magis juvat hostis hostem.
 Ictus sagitta Rex Macedo videt
 Non esse prolem se Jovis. Irrita
 Xerxem tumentem spe trecentis
 Thermopylæ cohibent farissis ;

40

45

50

55

60

Do-

Docentque fractum clade, quid aulici
Sint verba plausus. Ut nocet, ut placet

Stillans adulatrix latenti

Lingua favos madidos veneno !

Hæc in theatri pulvere barbarum

65

Infecit atro sanguine Commodum,

Probrisque foedavit Neronem, ac

Perdidit illecebris utrumque.

Artes nocendi mille tegit dolis

Imbuta : quis tam lynceus aspicit

70

Quod vitet ? Intentus canentis

Mercurii numeris, sopore

Centena claudens lumina, sensibus

Abreptus, aures dum vacuas melos

Demulcet, exemplum peremptus

75

Exitii grave præbet Argus.

IN TORPOREM.

L A C T E manantes fluvios canoro
Evehit plausu citharæ, beata
Aurei gaudens celebrare seclî
Munera, Pindus.

Tri-

Tritico glandem filiquasque præfert ;

5

Melleo quercus gravidas liquore,

Sponte nascentes segetes ab arvis

Carmine jactat.

Fictio fulgens minio, faceffat :

Hæc rudes mentes, animosque molles

10

Fabulæ dictis trahit, otiumque

Laudibus effert.

Vera, quæ profint, canimus : favorum

Artifex cellas apis elaborat ;

Sedulum tellus fata per laborem

15

Fundit aristas.

Herbidis pastor pecudes in oris

Curat; hinc potæ redeunt ab amne,

Et ferunt mulctris graviora puro

Ubera lacte.

20

Germinat tellus inarata vepres ;

Qui caret motu, vitiatur aer ;

Mens nocet torpens, velut unda tetro

Putrida coeno.

Cui labor frontem decoravit auro,

25

Testis est David, solitus leonem

Dextera, & duræ filicis gigantem

Sternere jactu.

Mox

Mox enim fegnem requiem secutus,

Jus maritalis violans cubilis,

30

Ut notam probri tegat, innocenti

Sanguine foëdat.

Inclytum virtus opus est laboris ;

Hujus impulsu petit astra. Mores

Desides vita ; fuge delicatæ

35

Otia vitæ.

Crapulæ & pigri soboles Soporis,

Quem sinu Luxus fovet & Voluptas

Educat firmans, comes it quieti

Torpor inertî.

40

Atterens vires animi, decorem

Gloriæ temnit ; studium perosus,

Quo parat laudum celebres triumphos

Vivida Virtus.

Lætus indulgens genio jocisque,

45

Perstat adversus vigilem laborem ;

Quotque Virtutis folium tuentur,

Perdere tentat.

Quo jacet Torpor magis otiosus

Ingerens pravis alimenta curis,

50

Pugnat infesta scelerum phalange

Acrior hostis.

PRO

P R O
ADVERSITATIBUS
ARCENDIS
HYMNUS AD DEUM.

URBES dira per Italas
Excurrens miseris modis
Vexavit populos fames.

Squalent ah! steriles agri

Raptis morte Colonis.

Non unum exitii genus:

Quot Mars effusus abstulit?

Quis non flens memoret feras

Cædes, arvaque lugubri

Passim infecta cruore?

Heu! vis pestiferæ luis

Quot strages dedit? horreo

Moerens dum recolo; quati

Mentem membraque sentio

Confermata pavore.

In luctu gemit Ausonum

Pars omnis prope; nec datum

A a

Pœ-

Poenarum fatis ; ignibus
Flagrans ecce ! Vesuvius
Campos undique vastat.

20

Densis Æthereas plagas
Fumi nubibus occupat ;
Bombos more tonitruī
Edens, Parthenopes domos
Et late loca quassat.

25

Funestos cineres vomit,
Flammas invehit igneo
Mergens oppida vortice ;
Hoc rursus furit, & Maris
Pugnam fluctibus infert.

30

Spirans longius Africus,
Sævo flamine noxios
Importat cineris globos ;
Monstro percitus Appulus
Letho proximus horret.

35

Horret Dalmata suspicans
Extremam exitii diem
Instare. His Latium solum
Subducis vicibus, Deus,
Et parcis bonus Urbi.

40

Quī reddam tibi debitas

Grates,

Grates, Rex, Superum jubar?

Te jugi facilem prece,

Te votis adeo; nova

Nos discrimina terrent.

45

Armis hosticus impetus

Oras Vindelicas premit,

Complens omnia cœdibus,

Vicinisque minas parat,

Vincla, incendia, clades.

50

Tu, Virgo, meritam Dei

Iram comprime: conscios

Urget nos scelerum cohors;

Hæc nobis magis, hostium

Quam sint arma, timenda est.

55

Rerum Conditor omnium,

Rex Æterne ter optime,

Qui Terram regis ac Mare &

Cæli fidera temperas,

Nostros excipe voces.

60

Obliviscere criminum,

Clemens parce precantibus,

Da Natis veniam, Pater,

Tantis pone modum malis,

Nostris annue votis.

65

Dele vindice dextera
 Hostiles acies, agit
 Quas in nos furor impius.
 Audi, te pueri vocant,
 Intactæque puellæ.
 Nobis dexter ades ; piæ
 Te flectant lacrymæ : tua
 Fidentes ope, bellicas
 Vires temnimus Hæresis,
 Nulla adversa timemus.

79

75

F I N I S.

A N-

ANNOTATIONES

AD

MAPHÆI BARBERINI

POEMATA.

PAG. 4. l. 15. *Ol Pietas Helena &c.*] De Templo Veneri & Adonidi Sacro quod Helena Constantini Mater in monte Calvario fertur evertisse, de Cruce demum sacra ibidem inventa testimonium perhibent varii Scriptores Ecclesiastici. Quæ ad locum maximè spectant, hæc è Socrate desumpta subjicere visum fuerit.

Mater Imperatoris Helena — a Deo in somnis admonita, venit Hierosolyma. Et cum veterem illam Hierusalem, juxta Prophetæ Vaticinium, desertam sicut pomorum Custodiam offendisset, Christi Monumentum in quo ipse sepultus resurrexit, studiose cepit perquirere. Ac difficile quidem illud sed tamen opitulante Deo tandem reperit. Quæ vero causa fuit hujus difficultatis paucis aperiam. Qui Christi fidem sequebantur, post mortem ejus monumentum istud magnopere coluerunt. Hi vero qui à Religione Christi abhorrebant, locum aggere opplentes, templum Veneris in eo extruxerunt, & simulacro superposito memoriam loci penitus abolere studuerunt. Et hoc quidem olim iis successerat. Verum Imperatoris matri ea res innotuit, Deturbato igitur simulacro, egestaque humo, & loco undique repurgato, tres Cruces in Monumento reperit; Unam quidem beatam in qua Christus pependerat, duas vero alias in quibus duo latrones, qui una cum illo crucifixi sunt, mortem obierant. Hoc igitur modo repertum est Crucis lignum: Imperatoris autem mater in ipso quidem sepulchri loco templum Magnificum extruxit. *Socrat. Hist. Eccl. l. i. p. 46. Versione Valesii Edit. Cant. Vid. Ruffini, Theodoret, Sozomeni, Nicephori Hist.*

Hist. Eccl. Baronii Annales Eccl. Et Salmafii Epistolam de Cruce, P. 46. l. 4. Nam teChristiadum &c.] Ecclesia S^{ti} Joannis Baptiste in Laterano. --- Primum Urbis, orbisque Christiani templum publice cultum, Antiquitate Venerationeque augustissimum. *Flor. Martinelli Roma Sacra.*

P. 49. l. 17. Frustra frementis æquoris &c.] Insuper colligere possumus, hoc quoque tempore (An. Ch. 35.) Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham, & Marcellam pedissequam, in quos Judæi majori odio exardescebant, non tantum Hierosolymis pulsos esse, sed una cum Maximino discipulo, Navi absque remigio impositos, in certum periculum Mari fuisse creditos, quos divina Providentia Massiliam tradunt appulisse. *Baronii Ann. Eccl.*

P. 51. l. 14. Hinc abrepta colit &c.] In ea (Provincia juxta Massiliam) adhuc visitur Magdalenæ antrum, Rupes in aere, imo conclave divinorum confcium. *Jo. De Bussiæ Historia Universalis.*

P. 53. l. 10. — triumphos Caroli] An. Ch. 1519. Carolus V. Maximiliani ex Philippo nepos electus est Imperator; per avi materni obitum Hispaniæ, Neapolis, & Siciliæ Rex; hæreditate paterna Belgii dominus; à paterno avo Imperator; ita florentissima ætate ad tot evectus Imperia, fortunæ suæ non defuit. Per Europam omnem bellum gessit, & triumphum egit; Hispaniam suam Tumultuantem compescuit, Belgas rebellantes in ordinem coegit; in Italia Mediolanensem Ducatum primo fœderatis, post sibi asseruit; Pontificem, Florentinos, Senenses, Genuenses vel erexit socios, vel hostes affixit: In Germania Solimannum Vienna depulit; Protestantem acie victos sub jugum misit; Et quasi Europa tot victoriis angustior foret, transmissus in Africam, barbaris gentibus regem dedit Arcemque posuit, ubi ante nec licebat stare. — A. C. 1555. Imperii 36. vivus & vegetus se hæredibus tradidit, donumque concessit ab omni memoria locupletissimum, Ferdinando fratri Imperium, ac Regna cætera Philippo filio. — *Idem. vid. P. Jovii Guicciardi. Thuanii, Stradæ Hist. &c.*

P. 53. l. 11. Ac temperatis &c.] Philippus II. Hispaniæ Rex, regnandi peritissimus Princeps: Cunctator eximius, qui temeritate nunquam peccavit: ab Escuriali quasi è Machina agens universum propemodum orbem, & quidem ei animus erat tantæ molis capax. — *Idem. vid. Thuan. Stradæ, Grotii Annales & Histor.*

P. 54. l. 17. — — — — — Pinnigero Puer

Delphinis in dorso, &c.] Hic Auctor respicit verba Apionis, quæ Aulus Gellius, se teste, Subscripsit ex Ægyptiacorum libro quinto; quibus Delphini Amantis & pueri non abhor-

abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes Aurigationes refert; eaque omnia sese ipsum multosque alios vidisse dicit. *Kal aúris δ'εὶ ἔδω* &c. igitur vidi juxta Dicæarchiam Delphinum puerum amantem, & ad pueri vocem amoris æstro percussum. Enimvero piscis adnatans puerum tergo suscipiebat, & pinnæ aculeos cohibens, ne dilectum corpus laceraret, & illum qui more Equi ejus dorsum ascenderat ad stadia ducenta deferebat. Roma igitur omnisque Italia effundebatur, ut videret ex amore natantem piscem. *Auli Gellii Noct. Attic. lib. 7. cap. 8. vid. Plinii sen. lib. 9. cap. 8. Et Plinii jun. lib. 9. Epist. 33. qui miram Delphinis Historiam refert.*

P. 54. l. 20. *Et Vulnerati pro pedis medela* [Cyc.] Introductus erat, inquit *Aulus Gellius ex eodem Apione*, inter complures cæteros ad pugnam bestiarum servus Viri consularis. Ei servo Androclus nomen fuit. Hunc ille Leo ubi vidit procul, repente, — quasi admirans stetit; ac deinde sensim atque placide tanquam noscitabundus ad hominem accedit: tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blande movet, hominisque fere corpori adjungit; cruraque ejus & manus prope jam exanimati metu lingua leniter demulcet. Homo Androclus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum reciperat; paulatim oculos ad contuendum leonem refert. Tum, quasi mutua recognitione facta, latos, inquit, & gratulabundos videres hominem & Leonem. Ea re prorsus tam admirabili maximos populi Clamores excitatos dicit, arcessitumque à Cæsare Androclum, quæsitumque causam cur ille atrocissimus leonum uni pepercisset. Ibi Androclus rem mirificam narrat atque admirandam. Quum Provinciam, inquit, Africam proconsulari imperio meus Dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus & cotidianis verberibus ad fugam sum coactus; &, ut mihi à Domino terræ illius præside tutiores latebræ forent, in camporum & harenarum solitudines concessi: ac si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum sole, inquit, medio rapido & flagrante specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro & recondo. Neque multo post ad eandem specum venit hic leo, debili uno & cruento pede, gemitus edens & murmura dolorem cruciatumque vulneris commiserantia: atque illic primo quidem conspectu advenientis leonis territum sibi & pavefactum animum dixit. Sed postquam introgressus, inquit, leo uti reipsa apparuit, in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem, mitis & mansues accessit: ac sublatum pedem ostendere ac porrigere, quasi opis petendæ gratia, visus

visus est. Ibi, inquit, Ego stirpem ingentem vestigio pedis ejus hærentem revelli: conceptamque saniem vulnere intimo expressi: accuratiusque, sine magna jam formidine, siccavi penitus atque deterfi cruorem. Ille tunc mea opera & medela levatus, pede in manibus meis posito recubuit & quievit: Atque ex eo die, triennium totum Ego & leo in eadem specu eodemque victu viximus. Nam, quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat; quæ ego, ignis copiam non habens, sole meridiano torrens edebam, sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertæsum est, leone in venatum profecto, reliqui specum: & viam ferme tridui permenfus, à militibus visus apprehensusque sum, & ad Dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit. Intellego autem, inquit, hunc quoque leonem, me tunc separato, captum gratiam mihi nunc etiam beneficii & Medicinæ referre. — Postea, inquit, videbamus Androclum & leonem loro tenui revinctum urbe tota circum tabernas ire: donari ære Androclum, floribus spargi leonem: omnes fere ubique obvios dicere: *Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis. Noët. Artic. l. 5. c. 14. Lugd. Batav. 1706.*

P. 56. l. 8. — *Iossus Laurentius olim*

In crate &c.] A. C. 261. imperante Valeriano Primarius Diaconorum Laurentius, clarissimus athleta fide, illustre certamen obiens, post diversa tormenta Craticulæ impositus, igne assatus, insignem Martyrii Coronam consecutus, admiranda plane animi Virtute de Persecutorum perfidia triumphavit. *Baron. Anal. Eccl.*

P. 60. l. 1. — *Regis educ optimi*

In lucis oras &c.] Ludovicus IX. Anno Ætatis 12. mortuo patre Remis coronatus est A. C. 1226. Matre interea prudentissime regnum, dum adolefceret filius, administrante, & eludente procerum regimini inhiantium conatus. Jam rerum potitus, Petrum imprimis Mauclerum & Hugonem Lusignanum in ordinem redegit. A. C. 1242. Raimundum Com. Tolosanum, Massiliensibus junctum, oppressit, in Albigenes acer. Rebus regni compositis Expeditionem in orientem suscepit A. C. 1248. cura regni Blancæ matri commissa, Damiatam expugnavit, tribus præliis infideles vicit, tota fere Ægypto subjugata. Mox à Melec-sala, filio Suldani Meledini, comiteatu intercluso victus & captus est, ad Mafsuram prope nilum sitam A. C. 1250. cum Carolo & Alphonso fratribus. Sed tanta fuit Captivi regis admiratio, ut Barbari, cæso Me-

Melec-sala, de illo in principem eligendo deliberasse dicantur. Quicquid hujus sit, libertatem suam, reddita Damia, suorum ingenti vi auri redemit. Postea cum Genuensium transvectus Classe, Tyrum & Cæsaream cepit. Morte matris audita in regnum reversus, post 5. annos illi exornando & Justitiæ administrandæ incubuit; Expeditione denuo in Africam suscepta, Carthaginem cepit, Tunetanum Regem cæsis 10000 vicit ac Tuneti obsedit. Sed sæva peste vexatus, exercitu magna ex parte amisso, ipse tandem cum Elisabetha Regina obiit A.C. 1270. Etat. 56. à Bonifacio VIII. inter Sanctos numeratus. *Hoffman. Dict. Emyl. de Gestis Franc.*

P. 66. l. 13. — *Gallia*

Juncta est rursus Iberiæ &c.] Gallia & Hispania novo fœdere junctæ sunt, pactione gemini conjugii: nempe Ludovici Regis Christianissimi cum Anna Maria Mauritia primogenita Philippi Regis Catholici; & Philippi principis Hispaniarum cum Elisabetha Sorore Christianissimi. An. Dom. 1612. *Baron. Annales continuati per Henricum Spondanum.*

P. 73. l. 18. — *te monet fugare*

Torris ignibus innocens Aquinas] Quum nec Matris nec Sororum precibus flecti potuit Tho. Aquinas, ut Habitum, quem susceperat, Dominicanum relinqueret; hac in re iniquiores, inquit illius Vitæ scriptor, fratres habuit. Qui cum eum nullis terroribus aut minis propositi tenacem dimovere potuerunt, rem excogitant honestis certe fratribus indignam, — impudentem quandam & inverecondam sed pulchram tamen puellam instruunt; illi, ut Juveni negotium faceat, quæratque ad se allicere, jubent; — sensit juvenis se hominem esse, turbarique mens jam videbatur, & vitiosus calor per venas illapsus, totum ipsius pectus commovebat. Quod ubi animadvertit, ea mente, quam Pietas, Religio, Philosophiaque nutrierant, libidinis nubem discindens, quo spectaret hæc Ars, quid moliretur, & unde profecta est perparum intra se collectus cogitavit, perspectoque totius rei fine, in indignationem calor ille primus versus est. Itaque — senium titionem, quem locus offerebat, comprehendens, in Meretriculam invehabatur, ignem sc. igni depulsurus. — *Ad Ed. Oper. Venet.*

P. 96. l. 8. *Si, Magalotte, &c.*] Laurentius Magalottus Vincenzii Mogalotti, ac Claræ de Copponum nobili familia Florentiæ natus, liberaliterque ab iis educatus Romæ apud Patres Societatis Jesu — Perusiæ legum scientia excultus, Pisana in Academia Doctoris Lauream omnibus applaudentibus obtinuit. A.C. 1608. Romam reversus Prælatorum utriusque signaturæ, ut dicunt, numero ad-

B b

scriptus

scriptus — apud Maphæum Cardinalem Barberinum, cujus fratri Carolo ejus soror Constantia nupserat, Vice legati munere Bononiæ functus est A. C. 1624. ab Urbano VIII. sacra Cardinalium purpura decoratus, dein Ecclesiæ Ferrariensi præfectus ibidem moritur A. C. 1634. *Ciacom. de Vitis Pontif. & Card. Ugbel. &c.*

P. 97. l. 12. — *deductus munere Pauli &c.*] *Ciaconius &c.* Cum Aquæ penuria tota Translyberina Regio mirum in modum laboraret, opus molis immensæ Paulus V. aggressus incredibilem aquæ copiam ex agro Braccianensi deductam à quinto ac trigessimio milliario partim subterraneo specu, partim arcuato opere in summum Janiculum perduxit, &c. *in ejus vita*

P. 98. l. 3. *Francisci cui sacra cohors &c.*] Religiosus hic ordo Fratrum minorum Auðorem habuit Franciscum Affisii in Umbria natum, Paupertatis cultorem eximium; eodem fere tempore quo Dominicanus ordo à Dominico Hispano institutus erat, circa Annum 1220. *Vid. Petavii Rationarium Temporum.*

P. 99. l. 10. ——— *Vicinus in auras*
Prominet Albanus vertex &c.] In Vertice montis Albani templum fuisse tum Jovis tum Junonis monetæ testatur Livius: quantæ etiam Religionis erat, Cicero in oratione pro Milone satis indicat. *Vid. Kircheri vetus & novum Latium.*

P. 101. l. 2. ——— *Auxilio Triviæ revocatus ad auras, &c.*] Hippolytus Thesei & Hippolites filius; qui à Phædra Noverca, ablente Patre, amatus est; cujus turpi desiderio cum obtemperare noluisset, illa filium apud patrem detulit tanquam de stupro illam appellasset. Hippolytus patris iram veritus, conscenso curru fugam atripuit; cumque juxta Maris littus pervenisset, incusso a Neptuno pavore, equi consternati eum habenis implicatum dilaniârunt. Cujus Vicem miserata Diana, Æsculapii ope ad Vitam eum renovavit, & in Aricino nemore collocatum, Virbium appellavit. *Vid. Ovid. Metam. lib. 15.*

P. 101. l. 19. *Immodicis Albanus aquas lacus &c.*] *Valerius Maximus lib. 1.* Subito Albanus lacus, neque cœlestibus imbris auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, solitum stagni modum excessit cujus rei explorandæ gratia legati ad Delphicum Oraculum missi, retulerunt præcipi fortibus, ut aquam lacus ejus emissam per agros diffunderent: sic enim Vejos in potestatem populi Romani venturos. *Vid. Liv. & Ciceron. de divinat.*

P. 101. l. ult. *Permeat hinc subiens cæsi &c.*] Romani per fossio monte Aquam per Canalem in campos Romanos deduxerunt, Victique inde Vejentes. Hunc Canalem à se summo studio explo-

exploratum fuisse dicit *Athanasius Kircherus*; *Vid. ejus Latium vetus & novum.*

P. 103. l. 1. *Ecquis Alexandri &c.*] *Alexander Farnesius*, Dux Parmensis, ac Belgicis demum rebus à Philippo 2do Hispaniæ rege præfectus. Ingenium illi, inquit *Strada*, ad Pacis Bellique Artes à natura promptum, Abavi sui Pauli III, Socerique Caroli V. in Schola pereruditum, à Fortunæ variantis disciplina perfectum. Hujus res gestæ, quæ plurimæ maximæque fuerunt, à Firmiano Strada & Hugone Grotio suis in Annalibus & historiis de Bello Belgico fusius memorantur. Decessit, ait Thuanus, Anno ætatis 47. 1592. belli Dux nostra ætate clarissimus prudentia, fide, solertia, vigilantia, constantia, felicitate — Cum majora ab eo expectarentur, in ipso rerum agendarum quasi flore defecit, integra fidei & Bellicæ Virtutis fama, qui cumulus ad summam ejus felicitatem accessit. *Histor. lib. 104.*

P. 111. l. 2. *Roma, Farnesium &c.*] *Alexander Farnesius* Romanus, ex antiqua & nobilissima Farnesiorum familia, quæ principem locum inter Romanas obtinet, — Petro Aloysio Parmæ & Placentiæ Duce, & Hieronyma Ursina A. C. 1520. natus est. Ab avo suo Paulo III. annum agens decimum quartum vel quintum inter Diaconos Cardinales cooptatur; quem juvenem purpura ornatum carmine celebravit *Fracastrorius*, clarus sui ævi poeta. Plurima Charitatis ac Munificentiæ suæ exhibuit Monumenta. Romæ migravit à Vita A. C. 1589. De eo etiam cecinere *Aurelius Ursus* & *M. Antonius Flaminius*, aliique. *Ciaconius &c. Ughell. in It. lib. Sacr.*

P. 113. l. 16. *Virgini, decus eruditiorum &c.*]

Janus Nicius Erythræus. Virgilius Cæsarinus patrem habuit Julianum Civitatis Lavinia Ducem. Virgilii immaturo interitu damnum res Romanæ Latinæque literæ fecerunt. — Verum in ea ætate, in qua alii studiorum curriculum ineunt, ille eorum spatium transcurrerat. — Erat Græce & Latine doctus, sagacissimus Naturæ indagator, sacrarum divinarumque rerum scientissimus, cæli terræque dimensor, — Juris Civilis & Pontificii consultius, medicæ artis notitia non mediocriter præditus, Orator, poeta summus. — Equum semper ad res adversas animum attulit, in ægotantibus præsertim, quibus fere semper perpetuis atque gravissimis conflictatus est, se fortem exhibuit. — Obiit florenti adhuc ætate, nondum enim trigessimum annum attigerat. *pinacotheca &c. Ejus etiam Vitam scripsit Favoritus.*

P. 115. l. 15. *Sat te Ciampalus &c.*] *Idem ibidem.* Johannes

Ciampolus (*cui pag. 168. inscribitur Ode*) Florentinus. — Ejus menti inerat natura quædam poetica: magno Animo ac majore confidentia ad scribendum accedebat; crebræ in eo sententiæ inauditæ, quæque venerunt in mentem, ante ipsam, nemini. — Exceptus est humanissimè a Virginio Cæsarino ob Voluntatum Suidiorumque similitudinem. — Urbanus VIII. adeo intimum eum habuit, ut omnia fere illi consilia crederet — in cujus sermonis suavitatem omnes animi sollicitudines curasque deponeret.

P. 117. l. 12. *Antiquæ Gabriel Gloria Felsinæ*] *Gabrielis Paleotti* Bononiæ olim *Felsinæ* nati res gestas hæc sequens Inscriptio in Sabinensi Ecclesia breviter exhibet.

Deo opt. Max.

& Memoriam

Gabrielis Paleotti S. R. E. Cardinalis, Episcopi Sabinensis, qui Paleottam familiam veteri & patritia nobilitate insignem, præclarissimarum Virtutum splendore illustravit; in Patria & pro Patria munera Civis optimi obivit. A Paulo IV. Pont. Max. Romæ inter auditores Rotæ adscriptus. A Pio IV. ad Concilium Tridentinum missus sua doctrina & sapientia Fidei Catholicæ gravissima negotia plurimum juvit; Cardinalis ab eodem Pontifice creatus. A Pio V. Ecclesiæ Bononiensis administratione suscepta. A Gregorio XIII. ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi dignitate decoratus, mores singulari Charitatis & prudentiæ exemplo reformavit. — A Sixto V. Episcopus Sabinensis. — Longitudine dierum repletus, onera Episcopatus & Cardinalatus æqua lance sustinens, constantia atque integritate admirabili ad Christianam rempublicam propagandam, scriptis, consiliis, & pietate assidue intentus, obdormivit in Domino. A. C. 1597. *Ciaccon. Vit. Pontiff. & Card. Ughebell. Ital. sacr.*

P. 125. l. 3. *Multiplices rerum formas &c.*] Sed videone hic Ulyssis Aldobrandi opera, ex omnium segete disciplinarum efflorescentia? quæ memini me videre Bononiæ, etiamque in Cardinalis Barberini legati cohorte honoraria; cum ille ad nobilem Bibliothecam accessit, & inspectis vix Aldobrandi codicibus, Epigrammata quæpiam rotundissima subito calore profudit. *Qualia sunt hæc & quæ ad Aldobrandum extant sequentia. Jo. Bapt. Lauri Dialog. de Viris sui ævi doctrina illustribus.*

P. 131. l. 1. *Carole, qui fulgens ostro decus adjicis Astris.*] Carolus Borromæus, patritius Mediolanensis, Giberti Aronæ comitis & Margaretæ Pii IV. sororis filius, in arce Aronæ natus est, A. C. 1538. Ob eximiam sanctitatem atque Mores integerrimos à Paulo

lo V. Sanctorum cætui solenni pompa adscriptus A. C. 1610. *Vid. Ciacon. &c. & Thuan. Hist.*

P. 131. l. 4. — *Soboles Politiana &c.*] *Robertus de Nobilibus*, natus A. C. 1541. in Urbe Montispolitiani: patrem habuit Vincentium de nobilibus Equitem, Ludovicæ Julii III. sororis filium. Visum est Julio Pontifici Adolescentem pronepotem suum ad supremum Purpurati Senatus gradum vocare. Hic, cum Annos septendecem haud multum excesserit, animam efflavit Pietatis laude cumulatissimus.

Et *Robertus Bellarminus, Hetruscus*, avita paterni & materni generis nobilitate illustris, Politiana in Civitate natus A. C. 1542. ad amplissimum purpuræ onus suscipiendum impulsus à Clemente VIII. Controversiarum scriptor notissimus, & Ecclesiæ Romanæ propugnator acerrimus, obiitque A. C. 1621. *Vid. Ciacon. &c.*

P. 139. l. 3. *Petrus sine sanguine Victor*] *Petrus Aldobrandinus* S. R. E. Cardinalis quem infra videas. *Annotat. P. 151. l. 13.*

P. 9. 141. l. 5. Ομμάτι σιν, γλωσσὴν τ' &c.] *Baronius in Annal. A. C. 799.* — *Paschalis & Campulus* sicut veri Pagani & impii ad ipsius Monasterii Ecclesiam, ante confessionem (Leonem) trahentes, — oculos & linguam crudeliter erue: — Vere à tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, & linguam ad loquendum restituit —

Erat (*inquit Platina in ejus Vita*) Homo miris ingenii, insignis pietate, fortissimus rerum Ecclesiasticarum honorisque divini procurator & defensor.

P. 149. l. 15. *Languet beu! Clemens &c.*] *Clemens VIII.* Pontifex maximus, cui antea Hippolytus Aldobrandinus nomen fuit, nobili natus genere, patria Florentinus, à sexto V. inter Cardinales adscriptus fuit: mox in Poloniam, ut discordiis in elegendo Poloniæ Rege concitatis finem imponeret, missus. — Mortuo Innocentio IX. in ejus locum consentientibus omnium Cardinalium Suffragiis A. C. 1592. Pont. Max. renuntiatur. — E Vita migravit Clemens A. C. 1605. summo totius Romanæ Curiae mœrore, Princeps sane magnus, & Pontifex vere maximus, liberalis in probos, & in doctos præsertim munificus. *Vid. Ciacon. & Ughel. Ital. Sacr.*

P. 150. l. 10. — *Non mendax memoret Tarentum &c.*] *Tarentum*, magnæ Græciæ Urbs clarissima, *Calabriæ* quondam caput, Magnitudine, muris portuque nobilis, teste *Floro*. Inde *Turantulus* nomen, quæ ea in regione reperiuntur, quarum morsus *Musica* sanari hic loci innuitur.

P.

P. 151. l. 13. *Ferrarienses, inclita Civitas &c.*] Petrus Aldobrandinus Clementis VIII. ex Petro fratre nepos, Romæ natus, ab eodem Pontifice Cardinalis renuntiatus erat. In hac atque altera Ode, quæ inscribitur *Pax Allobrogica*, maximè celebratur, quod Ferrariam à *Cæsare Eftensi, Mutinensium Duce*, Ditioni Pontificiæ demum traditam, cum Exercitu, incruenta prorsus victoria ingressus est. A. C. 1598. magna pompa faustisque acclamationibus exceptus. Is Ferrariæ Principatûs exitus fuit. *Vid. Ciacon. &c. Ugbell. Ital. Sacr. Baron. Annal. Continuat. per Spondanum*

P. 154. l. 9. *Franciscæ, Fratris germen amabile*] Franciscus Barberinus, Caroli Barberini & Constantiæ Magalottæ filius, Urbani VIII. ex fratre Nepos, natus Florentiæ A. C. 1597. à puero omnigenæ literaturæ operam dedit. Eum adhuc Juvenem Urbanus in Cardinalium ordinem cooptavit, ac variis in Curia Romana muneribus obeundis præfecit. Librorum studio ab ineunte ætate flagravît Franciscus Cardinalis; quare Bibliothecam in Ædibus Barberinis extruxit in urbe & in orbe celeberrimam. Hujus Bibliothecæ accurata extat descriptio à *Comite Hieronymo Tetio in Ædibus Barberinis. Vid. Ciacon. &c. Et Ugbell. Ital. Sacr.*

P. 160 l. 7. — *Sacram qui paupere cultu &c.*] Antonius Barberinus, Urbani VIII. germanus frater, Florentiæ natus 1569. Fratrum minorum S. Francisci ordinem, qui Cappuccini dicuntur, amplexus, in eo primos ætatis suæ exegit Annos; dein Cardinalis ab Urbano creatus, eandem in purpura, quam prius solebat, asperitatem vitæ profecutus fuit, erga pauperes, atque sacras ædes abunde munificus. Hujusce Cardinalis effigiem ad vivum expressam, & de eodem Leonis Allatii carmen invenies apud *Hieronymum Tetium in Ædibus Barberinis. Vid. Ciacon. &c. Ferdinand. Ugbell. Ital. Sacr.*

P. 162. l. 1. *Hæc frater æquis Carole &c.*] Hic Carolus, tertius Barberinorum frater, Urbis Romæ, ac Militiæ Ecclesiasticæ Præfectus emicuit.

P. 170. l. 15. *Te, Strozza, Vitam &c.*] Janus Nicius Erythræus &c.] Jo. Baptista Strozza Florentinus; erat ille Philosophicis ac Theologicis doctrinis instructus, Græcis ac Latinis literis doctus, poeticiæ facultatis ita peritus, ut non cum equalibus suis solum, sed cum majoribus etiam natu poetis, compararetur. —

P. 172. l. 8. *Dalmaticis Dioclen in hortis &c.*] *Petavius in Ration. Temp.* Post magnificum de tot confectis bellis triumphum ab utroque *Augusto* celebratum, ambo deposita purpura — privati facti sunt, *Diocletianus* Nicomediæ, Mediolani *Maximianus*. Sed ille

ille sponte, sive ingravescente jam ætate fatiscens, sive Christianæ rei, cui par opprimendæ non erat, tædio fractus, *Solonas* in hortos secessit. A. C. 304. *Vid. Buffieres Hist. & Baron. Annal.*

P. 173. l. 22. *Chiabrera testis tu &c.*] *Janus Nicius Erythræus in Pinacotheca &c.* Quod à nemine mortalium antehac creditum est, ut quisquam possit Pindaricæ laudis æmulator existere, id — *Gabrieli Chiabrera, Patrio sanonienfi*, contigisse conspicitur. — Verum tantæ laudis adeptæ famam longè copiosius ac melius egregia ac probe divina ejusdem Carmina, in omnes terrarum oras, in omnis posteritatis memoriam, ad æternitatem nominis, quam cujusquam Oratio, diffundent —

P. 174. l. 15. — *curvus in falsis canenti &c.*] Spectare videtur hic locus ad fabulam de *Arione fidicine & Delphino*, quam ex Herodoto desumptam exprimit *Aulus Gellius lib. 16. c. 19. Noct. Attic.* Eandem pariter attingit *Lucianus, in Dialogo inter Neptunum & Delphinos.*

P. 176. l. 13. — *pingis imaginem, Figliucce, &c.*] *Nicius Erythræus &c.* *Flaminius Figliucci*, senensis, seminarii Romani Clericus. — Is multâ variis temporibus edidit poemata, quæ, ut quævis occasio se dabat, scribebat. — sed quanti hic Vir esset, ostendit *Maphæus Card. Barberinus*, qui inter sua laudatissima carmina, intulit Epistolam, quæ etiamnum extat, semperque extabit, ad *Flaminium*, versibus scriptam. Non enim Emunctissimæ naris ille Vir summus ad hominem suis versibus cohonestandum descendisset, nisi tanto cum honore dignum judicasset.

P. 177. l. 4. *Urse, datum &c. J. Nicius Erythræus in Pinacotheca &c.* *Aurelius Ursus* — præstantissimum ingenium contulit ad Epigrammata scribenda, in quibus adeo excelluit, ut ætas nostra habeat, quem non modo cum veteribus illis, qui hoc Carminis genere versati sunt, — conferat, verum etiam iisdem anteponat. Ut *Urbanus VIII.* Poetarum maximus, non alio Magistro se jaceret. — In (*Farnesiorum*) domo heroico carmine *Alexandri Ducis* res gestas complexus est, pulchro illo quidem, sed nequaquam ejus laudibus ante ponendo; nam in eo est inventus seipso inferior. Mortuus est non admodum ætate provectus, cum elegantissimum Carminum suorum librum edidisset.

F I N I S.



41

